Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 F
51

Digitized by Google

6
21-F
51

~~6-21-9-31~~

XXXIII. 1. 4.
2.6.

AELII IVLII CROTTI CRE-MONENSIS HERMIONE.

EIVSDEM

FLORALIORVM SPICILEGIA.

MANTVAE
M. D. XXXXV.

FRAN. CONTERNII.

Aeli Gloria Temporum tuorum,
Tantum virgo tibi Patrona debet,
Quantum Lesbia debuit Catullo:
Cui tu Carmine nobili, & canora
Donaſti Fide Paſſerem Catulli.
Quin tu Carmine nobili, & canoro
Donaſti tibi Paſſerem Catulli.

IO. BAP. BELLINI.

Percuſſit querulas Aeli ſic Ordine Chordas
Calliope, auerſam dum gemis Hermionem:
Vt meritò Capiti Modulamine captus Apollo
Iuſſerit imponi Laurea ſerta tuo.

AELII IVLII CROTTI CREMONENSIS HERMIONES LIBER PRIMVS.

AD DIVVM HERCVLEM GONSAGAM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Andinos Colles,& magni parua Maronis
Rura,iacent quæ inter Mintium , & Eridanum,
Fortia qui colitis phœbææ Mœnia Mantus
Præcincti Fluctu Mincigenæ placido,
Ferte (oro) ad Diui paccatas Herculis Aures,
Ferte agedũm,hæc Numeris Carmina ſupplicibus.
En Princeps,quem ſublimi Clementia Cœlo
Aequat,& illuſtri Fama nitens Titulo,
Princeps Oenotriæ Fines,atque itala Tempe,
Tyberis illimes quem venerantur Aquæ;
Eccè nouus Phœbi,phœbææ que Accola Cyrrhæ,
Venit ab Aonijs in tua Iura Vadis:
Et tibi Theſpiadum ex Ortis,& Vallibus Aſcræ,
Roſida virgineis Mala refert Calathis.
Hæc,quæcunque vides molli dictata Camæna
Iuſſit Amor primis ludere Temporibus;
Cum Iuuenem inſano formoſa Ardore calentem
Idalijs Oculis vreret Hermione;
Vnde Operi Nomen,Vires que in Carmina ſurgunt,
Et Chelis Odriſijs increpuit fidibus.
Vix quinque Alphæos,& bis numerarat Ariſtas,
Cum Finem incœptis impoſuit Numeris.

Altera nunc teritur melioribus Orbita Manis,
Et petitur rapidis altera Meta Rotis.
Accipe Magnanime, Egregie, Inuictiſſime Princeps,
Has tibi quas ſacrat Aelius Illecebras.
Et tege felicis ſubluſtribus Arboris Vmbris,
Nè noceant Auſtri, nè noceant Boreæ.
Auſpice te, Pontum, & Syrtes, & Cares adibit
Hermione, atque vltrà Caſpium, & Iõnium.
Nec timet Inuidiæ Morſus liuentis edaces
Intrepida, & tanto tuta Patrocinio.
Porrige diuinæ concordia Fœdera Deſtræ
Aſtutum, & Votis annue ſimplicibus.
Sic læuo aſpiret dexter tibi Iuppiter Aſtro,
Et ſic Cumææ Secula vatis agas.

AD PAVLVM.

Semper ego triſti vexatus Paule Furore
Plena querelarum Carmina perſoluām?
Semper ego obſcæno Curarum merſus in Aeſtu
Conquerar ad tremuli vſque Niues Capitis?
Et nunquàm nitidos ſignabunt Marmora Soles?
Et mihi nulla bonum concinet Omen Auis?
A' pereant Veneres, pereant Pharetræque, Faces que,
Quas malus in miſeros vibrat Amor Iuuenes.
Cruda vale, Mens eſt alios mihi quærere Fines,
Et colere Agreſtes Hermionea Caſas.
Non poſſum hos Aeſtus, non poſſum hos ferre Calores,
Vror, & in cæco Vulnere ſæuit Amor.
Rura peto, curuus fiam non ſegnis Arator,

In matutinis peruigil Alitibus,
Iam videor verſare Solum, tractare Bidentem,
Et Frondatoris Tela ſonant humero.
Nunc cogam impoſito Taurorum Vomere forti
Initi grauibus fortia Colla Rotis.
Et modò de torto componens Tempora Fœno,
Aſueſcam facili tondere Prata Manu:
Aut paſcam ſimas alta de Rupe Capellas:
Aut niueas viuo Fonte lauam Pecudes:
Et carpens vernos molli de Cæſpite Flores,
Ruſtica syluoſis Serta feram Laribus:
Tranſiliens que leues per ſacra Palilia Flammas,
Certa coronato Verba legam Capite.
Phœbe faue, nec tu Admeti formoſe Iuuencos
Spreuiſti herboſas paſcere per Syluas.
O' quoties iſtos doluit Latonia Mores,
Et gemuit fœdas ſæua Nouerca Comas:
Cum turpis roſeo manaret Sudor ab Ore,
Et flueret ſacros Puſtula per Digitos.
Tu fera quid volues Animo? non te Aequora Ponti,
Armeniæ non te progenuere Tigres.
Flebis, & vt redeam, Precibus, Lacrymis que decoris,
Orabis paſſis Crinibus Hermione.
Obſiſtam tamen, & vincam durando, petenti
Obijciens notæ Crimina Perfidiæ.

AD HERMIONEM.

Igneus eöos exurit Syrius Indos,
Et Canis arentes triſtiis hiulcat Agros,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Torrida veſano palleſcunt Arua Calore,
   Et Cantu recinens hiſcit Auis medio.
Tu tamen ò nimium fallaci credita Cœlo,
   Aſpera non duris Rura teris Pedibus.
Nec piget (euerſas vrente Hyperione Glebas)
   Ferrea magnanimo demere Vincla Cani,
Et per cliuoſos incerto Tramite Colles
   Non humili trepidos Voce ſequi Lepores:
Quin & marmoreas detonſo Stramine Plantas
   Diceris in Curſu proſecuiſſe tuo,
Et tenera hamatis ſtrinxiſſe in Sentibus Ora,
   Dum recipis raptas ſedula Vepre Comas.
A' tibi ne tanti ſint Ruſcula, ne tibi Colles
   Sint tanti, aut rapidis Præda fugax Canibus,
Vt niueos Artus, vt formoſiſſima Membra,
   Vt roſeam duro Sente notes Faciem.
Hæc mihi tu canis ſerues collata Pruinis
   Colla, per Amplexus euoluẽda meos,
Hæc mihi ſimplicibus nuſquàm ceſſura Liguſtris
   Brachia, montano lucidiora Gelu,
Parce Sinu molli, flauenti parce Capillo,
   Bacchus odorato quem cupiat Capiti.
Adde quòd hic raræ creſcunt de Rupibus Herbæ,
   Nulla que de viridi Cœſpite balat Ouis:
At neque purpureæ dependent Vitibus Vuæ,
   Nec creſcens prono Stipite Bacca rubet,
Vlla neque irriguis ſaturantur Gramina Riuis,
   Roſida nec pluuio Prata Fluore madent,

Scabra ſed agreſti candeſcit Glarea Vena,
Et nuda annoſo torpet Humus Silice:
Quid iuuat in calidis conſumere Solibus Horas?
Et Latebris timidas ſollicitare Feras?
Per te ego Dyctinnæ teſtor, per Anubidis Ora,
Quàm primum ad noſtros Eſſeda verte Lares.
Venandi Studium forti concede Dianæ,
Non faciunt Manibus Retia torta tuis,
Hic, mecùm potius dulci requieſce ſub Vmbra,
Blanda Caryſtieis qua ſtrepit Vnda Labris:
Hic inter gelidas criſpanti Flamine Lymphas
Candida, Fontana prolue Corpus aqua:
Iſtic roridulis mecùm luctata Papillis,
Mutua per Motus Oſcula iunge bonos,
Icarium Sydus, Syrios exurat, & Afros,
Nos, Veneris gratæ dulce reſoluat Opus.

AD BACCHVM.

Sic tibi virginei Vultus, mollis que Iuuenta,
Sic fluat aſſyrio pingue Caput Balano,
Tam citò cur nobis Pater indetonſe Tioneu
Hæc Sacra non pigris ſurripis Alitibus?
En quàm felici luxit mihi Lampade Phœbus,
Qualis apollineo naſcitur in Tomaro:
O quàm formoſos in me Dea flexit Ocellos,
O quàm laſciuos præbuit Articulos:
Molliter in ſumma vertens Veſtigia Planta,
Et leuiter Coa proſiliens tunica:
Cum caneret Choreas iucundo Tibia Verſu,

Luderet & iuncto iuncta Viro Mulier:
Illa pudibundis hærebat muta Puellis,
Candidulas ficto picta Genas Minio:
Qualis Mygdonio colitur Deus indus in auro,
Vt que natant puro Lacte Roſæ Folia.
Ibat odoratos ad Frontem paſſa Capillos,
Lacteolos picto nexa Sinus Strophio.
Fulgebant nexæ per leuia Tempora Gemmæ,
Qualia Puniceo cortice Grana rubent.
Sic Danae viſa eſt pluuio cum Iuppiter Auro
Acriſionæos decidit in Thalamos.
Talis virgineos Artus Bobeide lota
Prima tulit Sais Oſcula Mercurio:
Et ſic Centauris Lapithi de Sanguine quondam
Enituit medijs Lancibus Iſchomache.
Siſte puer biuges Currus, celeres que quadrigas,
Et pariter Lincum fortia Colla preme:
Et tua mortali geminentur Sacra ſub Axe,
Vt poſſim in chara ſæpe mori Facie,
Quam ſic in viridi ſeruet Ramnuſia Fronte,
Nè turpis longo Ruga notet Senio,

AD HERMIONEM.

Deſine Mæonio Crines Dea fingere cultu,
Et colere exiguis Ora Papaueribus.
Deſine Sarmatica Formam componere concha,
Membra que Sydonijs pingere muricibus.
Sat formoſa mihi, mihi ſat formoſa videris,
Et mea natiuus conterit Oſſa Color,

Et meritò, quid enim tanto Telluris in Orbe eſt,
Eniteat diua quod magis Hermione?
Tu potes Eurotæ virides circundare Saltus
Aurea Gargaphijs Delia virginibus.
Et potes in medijs Cornu fulgere decoro
Pura Prometheis Cynthia Syderibus.
A' tibi nè noceant pulchræ Diſcrimina Frontis,
A' tibi nè tantæ, nè noceant Veneres.
Sed vita Speculum, tranquillas effuge Lymphas,
Nè fias vanis Triſtis Imaginibus.
Vt miſer inſano laſſus Cephyſius Aeſtu
In tremuli Fontis Margine gramineo:
A' miſer, in liquida dum ſe videt, & cupit Vnda,
Languet demiſſo lapſus Humi Capite.
Et Pandioniæ nocuit Decor erythiæ,
Non Decor acteis vltimus in Dryadis:
Illa ſub incertas ibat formoſior Vmbras,
Roſida candidulis Poma legens Manibus:
Vidit, & è viſa Boreas gelidiſſimus vrens,
Præcipitem herboſo ſuſtulit Apidamo.
Me quoque Phlegræos torquet lernæus ad amnes
Inixus teneris raptus Hylas humeris.
His mea tu Monitis accenſa fidelibus, altos
Et Colles, & Aquas Hermionea fuge:
Et me furtiuis laſſum amplexare Lacertis,
Ingeminans mixtis Oſcula Blanditijs:
Sic ego non Reges, nec dicere Bella parabo,
Non lapſum Aegeis Androgeona iugis:

Sed totus Paphio creſcet meus Igne Libellus,
Et ſolam dicet Melpomene Hermionem.

AD HERMIONEM.

Quot mala monſtrauit Terris temerarius ille,
Qui primus Sedes appulit æquoreas,
Audax abiegno protendere Lintea Malo,
Et Trabe marmoreas ſcindere Aquas cyprias:
Vt mox infectos poſſemus adire Britanos,
Atque Iter ad gelidos ferre Boryſthenidas,
Vnde per Aequoreas elabens Fraxinus Vndas,
Duceret ignotæ Munus Auaritiæ,
Vt quæcunque Manu tractaſſent Vellera Seres,
Quod que in felici naſcitur Arabia,
Quod ſimul Inda cauis fodit formica Metallis,
Et quicquid rubri ſubuehit Vnda Maris,
Hæc eadem noſtros torquerent Omnia Senſus,
Et poſſent Mentes reddere ſollicitas.
Hinc primum incœpit Lucri veſana Cupido,
Et Deſiderÿ maxima Cura noui:
Inde peregrinos exarſit Virgo Colores,
Et Precium raris fecit Iäſpidibus:
Indè etiam quiuis quemuis mercatur Amorem,
Facta Via eſt miſeræ libera Luxuriæ.
Aurea Matronas corrumpunt Munera, & ipſa
Labitur è tacitis Ianua Cardinibus:
Sic tu, quæ miſero Senſus mihi deprædata es,
Quam colui pura per duo Luſtra Fide,
Nunc laſſum in medio Crudelis deſeris Aeſtu

Clamantem ſurdas turpiter Alcyonas.
Me miſerum, tanto fruitur nunc Alter Amore,
Figit & in teneros Oſcula dura Sinus,
Quòd tibi Chryſolithos donet, virides que Smaragdos,
Aut iubeat ſcyria Dona venire Tyro.
Et ſinè me largo colitur nunc Menſa Lyeo,
Me ſinè Nox lœtis ducitur Excubijs.
O' vtinam & Gemmas, & Venas diuitis Auri,
Abrupto Tellus occuleret Barathro:
Sed Canna, & Stipulis (vt quondam) & Cœſpite viuo
Facta Caſa, Hoſpitium Regibus vſque daret:
Non ita venales eſſent ad Furta Puellæ,
Nec biberent miſeræ Toxica Perfidiæ,
Felix quæ Radio bis denos caſta per annos,
Luſiſti tantos Icarioti Procos,
Felix Admeti Talamus, felicior illa,
Quæ potuit charos vſta ſequi Cineres.
Vix ego bis denis collapſis Solibus abſens,
Excludor ſolitis languidus è Foribus.
Sed caue nè lœdas iurati Sydera Cœli,
Et ciat iratos perfida Lingua Deos.
Iuppiter ex alto perituros ſpectat Amantes,
Et facili caſtas concipit Aure Preces.
O' quoties claro decuſſit Fulmen Olympo,
Cum Notus Aeolijs ſterteret in latebris:
Hoc tum periuras ſolet ille ferire Puellas,
Et turpi tinctas Sanguinæ habere Manus,
Vita caue, tibi nec tanti ſint Munera, quæſo,

Vt fias iſta frigida Luxuria.

AD VENEREM.

Accipe torquatæ Sacrum Regina Columbæ,
Quæ colis idæos Cypria Dardanidas:
Cum que Focis mæſtas que Preces, turpes que querelas,
Lumina que effuſis turgida de Lacrymis.
Scis dea quas olim dederas Amathuntia Curas,
Scis dea me quali corrueris Genere.
Quam mihi tu certo nexaras Fœdere, qua me
Fixerat inſtanti ſæpe Manus Calamo,
En cito quàm tantos, & tot ſpoliauit Amores
Impia, crudeli Subdola Nequitia,
Iam mihi faſtoſos dudum ſubduxit Ocellos,
Tanquàm gorgoneam porrigerem Faciem:
Illa nouas iterum tentat ſecura fauillas,
Et certum vulgò monſtrat Adulterium.
Vndè tuos repetam Faſtus Crudelis? & vndè
Incipiam tantæ Semina perfidiæ?
An quòd mutati ſenſiſti Signa Caloris?
Aut noua promiſſo venit Amica Toro?
A' pereat quisquis caſtæ dat Verba Puellæ,
Atque in Amore ſuo quærit habere Notam.
En mihi continuo tabeſcunt Lumina fletu,
Et miſera aſſiduis Ora fluunt Lacrymis;
Et quantum nigris ardet Fornacibus Aetna,
Vnda que veſanis abdita Thermophylis;
Tantum in Amore meo torrent mihi Viſcera Flammæ,
Sic pereo duris fixus Arundinibus.

Verte Faces à me(quæſo)Dea,fige ſuperbam,
Stringe potens crudam Diua pari Calamo:
Ac velut exarſit Cretæi Cornua tauri,
Quæ tulit abiegnæ Gaudia fera Bouis;
Qualis Theſſalicum fleuit Salmonis Enipeum,
Quæ ſubijt liquido capta Puella Deo;
Et qualis patrijs ſuccenſa eſt Myrrha Labellis;
Cum nocturna ſeni Furta dedit Cynaræ,
Talis Facta leuis noſtros ſuſpiret Amores,
Et gemat è miſſis Noctibus Hermione.

AD HERMIONEM.

Credebas ſinè me tám longos ducere Soles,
Et malè cedentes diſimulare Faces?
Vrbanas Turres,& cum Regalia tecta,
Effugeres trepidis Curribus Hermione?
Vt tua Benaci colerent Veſtigia Nymphæ,
Et benè compoſitam ingemerent Faciem:
Illic Pampineis vbi murmurat vnda ſub vmbris,
Et ſtrepit argutis Aura ſub Arboribus,
Illic gramineis albent vbi Lilia Pratis,
Verna que cæcropio ſurgit Humus Cythiſo:
Verum aliter uiſum eſt Veneri,quæ blanda,Puellis
Improba non facili Corda ferit Iaculo,
Ecce iaces,Præceps que Deos in Vota fatigas
Languida,vix ægris Membra leuans Humeris;
Et tua terribiles vrunt Præcordia Febres,
Pallida que affecto torret in Ore Sitis.
At Canis hæc rabidi non ſunt,neque Crimina Cœli,

Sed tua, quæ nobis non fuit æqua, Fides.
A' quoties Venerem iuraſti, & Palladis Ora,
Sed quod iuraſti, Ventus, & Vnda fuit.
En tibi Perſephone triſtes denuntiat Horas,
Vt meus iniuſto fluctuet Igne Dolor.
Parce Dea, & triſtem, quæſo, compeſce Furorem,
Nec fias turpis Sanguine virgineo.
An tibi formoſæ deſunt, teneræ que Puellæ,
Quas ſolito durus torquet Amor Laqueo?
Parce Dea, & tua mi ſeruet Clementia Vitam:
Sit licet hæc nobis Perfida, Chara tamen.
Quid iuuat immeritæ Lucem fraudare Iuuentæ?
Et nondum canas proſecuiſſe Comas?
Quid prodeſt teneris Florem decerpere Ramis?
Et malè purpurei perdere Veris Opes?
Tunc liceat nigri cognoſcere Littoris Antrum,
Et Vada letheis abdita Cimmerijs,
Cum mala rugoſos Artus infecerit Aetas,
Et feret incerto Calua Niues Capite.
Interea nigra fias placata Bidente,
Et ſimul hæc puri Cymbia Lactis habe.

AD HERMIONEM.

Cur tam crudeles in me conuertis Ocellos?
Et quereris tantæ Crimina Perfidiæ?
Quid grauius ſola lacrymas Minoide? quid fles
Altera de Syphili Littoribus Niobe?
Non ſic Cecropiæ Volucris per Deuia ſyluæ
Obſtrepit argutis Dauliasin Folijs:

Nec tantum Argiui regis dolet Oſcula Briſe
Abducta è Gremio Coniugis Hippodome.
A' mea, quid tantum ſuperos in Vota fatigas?
Et quereris de me triſtiùs Hermione?
An quia mutati dederim tibi Signa Caloris?
Aut nouus in noſtros venit Amor Thalamos?
Diſperéam, & fiam rabido noua Præda Leoni,
Tu niſi, ſi vlla meos preſſit Amica Toros.
Vnica tu, Senſus miſero mihi deprædata es,
Et charum primi Floris habes Spolium,
In te noſtra Venus tuto requieſcit Amore,
Nec patitur Facie me vnquàm abeſſe tua.
Eſte mihi Teſtes, nocturni Sydera Cœli,
Et per rimoſas Carmina miſſa Fores.
O quoties gelido vidit me Lucifer Aſtro,
Et matutinis Vmbra ſub Alitibus.
Tu mihi Cæſareo precioſior amphitheatro,
Tu mihi Phœbæa charior Ortygia,
Per te ego Pergameæ poſſum concurrere pugnæ,
Et poſſum Oenomãæ Præmia ferre rotæ.
Scilicet excetras Lernæ pugabimus Hydras,
Aurea que Heſperio Mala feram nemore.
Nunquàm ego me laſſum pro te mea Vita negabo.
At patiar fortes Amphitrioniadas.
Poſſem ego tam magnos aliò transferre Calores?
Et radicatæ Delicias Veneris?
Deſine iam tragico Voces effundere queſtu,
Et faciem ſæuis lædere Pollicibus,

In te ego Vita Animum poſui, Mentem que dicaui,
Cum nos vnus Amor iunxit, & vna Fides.

AD FRITILLVM.

Nil mirum eſt, ſi de Lycia Fritille pharetra
In me Gnoſiacos prumpſit Amor calamos:
Certè nil mirum eſt, ſi me Cythereius ales
Tam ſæuè iaculo fixit Achemonio:
Omnes alterna Mortales voluimur Vnda,
Et ferimur rapidis vndique Vorticibus.
Nam poſtquàm liquido diſcreuit ab Aequore Terras
Natura, & melior luxit in Orbe Deus,
Fratre minor, nituit nocturno Cynthia Cœlo,
Eſſet vt in magnis maxima Syderibus:
Tum patuit lato Terrarum Margine Campus,
Vnda que muſcoſo proſiluit Lapide.
Surgebant virides procero Stipite Syluæ,
Alta que montanis decidit Vmbra Iugis;
Serpebant tremuli circùm Violaria Fontes,
Et Roſa de molli luxuriabat Humo.
Hinc gemere in puris per Stagna liquentia Lymphis,
Hinc canere è Vernis Carmen Aues Folijs,
Et Saltus tenuere Feræ, Libyæ que per Agros
Nobilis arguto frenduit Ore Leo,
Vltimus acceſſit magni de Semine Cœli,
Siue Prometheis factus Homo Manibus.
Hæc vbi, quiſquis is eſt, Cœlo ſe ſuſtulit alto
Contentus ſupera viuere Parte Deus,
Ille neque humanos vnquàm meditatur Honores,

Nec curat

Nec curat noſtræ Iurgia Seuitiæ,
Hinc data Libertas, & nobis liquit habenas
Poſſemus noſtro vt uiuere Conſilio.
Ecce per æternæ mortalia compita Terræ
Quam vagus in toto fluctuet Orbe Globus:
Cana per herboſas conſurgunt. Lilia valles
Improbulo Morſu quæ mala carpit Ouis.
Nititur aeria Turtur ſuper Ilice. Cuius
E tepido Nido oua rapit Cuculus,
Et ſequitur timidas Penna trepidante Columbas
Accipiter magnæ præda futurus Auis.
Quid Tygridi lupus, aut fuluo quid Cerua leoni
Vt fiant rapidis vnguibus ex animes?
Aſpice quot Claſſes ſurdo mergantur in alto,
Quot iaceant turpi littore Buſta Virum.
Pelidem Priamis formoſis arſit ocellis
Vt Caderet Muros Miles ad iliacos.
Paſiphäe niuei flagrauit Cornua Tauri,
Tabuit in dulci Myrrha Patris Gremio.
Ergo neſcioquo miſeri Cum voluimur aſtro,
Quid mirum ſi me perdidit ille Deus?
qui Matri, qui nec Patri, Fritille pepercit
qui me tam ſæuis fixit Arundinibus,
Attamen hic Ardor, vel Flamma hæc blanda Futura eſt,
Me modo amet, quæ me concoquit, Hermione.

AD HERMIONEM.

Sic ego præcipiti vectabor Arundine? & atro
Remige funeſtos euehar ad Lemures?

Præſenſi Matris Gemitus, Suſpiria Fratrum,
Et nocturna malum præbuit Omen Auis.
Senſimus in Foribus triſtes pendere Columnas,
Et declamatæ Funera Sandapilæ.
O' mihi non atra Mors importuna Fauilla
Ante tuos Vultus Lux mea ſi morior.
Ibo ego ad infernas non mærens, Impiger Oras,
Ante tuos Vultus Lux mea ſi morior.
Nam ſemel æterni calcanda eſt Semita Læti,
Atque capax omnes Vrna mouet Cineres
Sed nec ego ad Parthos, nec barbara Littora Nilì
Sed pereo in patrijs, ante meos Laribus:
Et mihi pallidulos componet Mater Ocellos,
Et pariter dicet Frater, aue, atque uale.
Ibo ego nec partes ſolus ſcrutabor Auerni
Inter magnanimos nobilis Vmbra Duces,
Illic Aegides, & lariſſeus Achilles.
Et quicunque manu concidit Hectorea.
Illic èòis preclarus Cæſar in Armis,
Et non cedentis Dextera Fabricij.
Sed mihi iam uideo gelidos decreſcere Senſus,
Atque Anima in Ventos deficit äerios,
Iam que mihi longæ Pompæ ſpaciatur Imago
Et iacet ad ſtructas Laurus acerba Pyras:
Iam Domus interior Luctu tabeſcit amaro,
Et Tuba præſentes concinit Exequias.
O' mihi non alio Mors importuna Dolore,
Quàm quod te nequeo Lux mea conſpicere.

Hoc tua me ſolum morbo potis Aura leuare,
Si traiecta meas ſerpat in Auriculas.
Parce rogo,& certos ſponde mihi Doris Amores,
Iſtaque de rapida ſurripe Membra Face.
Sic ego felici tibi me pro Carmine damno,
Et dicam,ſolam uiuo per Hermionem.

AD HERMIONEM.

Sis licet icario nobis ueſanior Euro,
Et ſis mobilior fluctibus Ionijs,
Tu licet irato fias crudelior Vrſo,
Et uenias duro durior Hippolyto,
Obſiſtam,& longos uincam durando Furores:
Frangitur aſſiduis dura Silex Gradibus.
Mellanionei ſuccurrunt Pectoris Ignes,
Dum gemit Arcadijs rupibus Iaſida:
Ille etenim duram potuit placcare Puellam
Acriter hyleis læſus Arundinibus.
Me,licet ad Tanaim fugias,non ſera uidebis,
Nunquàm ego uita tuo,nunquàm abero lateri.
Non ego ſcythonios uereor tranſcendere Colles,
Nec petere eduræ Littora Tantalidos.
Inſtat Amor,Flammas que meo ſub corde uolutat
Diua Canopeis dedita uirginibus,
Et patiar Glacies,& apertis nubibus Imbres:
Et ferar incerti Fluctibus Oceanì.
Hanc ſtatuit Legem cupido Deus ales amantì,
Vt ſciat hinc nulli parcere Duriciæ.
Teſtis Abidenus,teſtis Saturnius heros

Non veritus canæ Tethij tradere ſe,
Ille etenim tyrij cælatus imagine Tauri
Molliter in Fluctu mugijt æquoreo,
Et modo factus Auis, ſæuum modo verſus in Anguem,
Pallidus in dulci vixit Amaricie.
O' quoties Curru ſudauit caſtor anhelo,
Toxica phæbeis dum bibit ex Oculis.
Verus Amor nullos timet affectare labores,
Quod que magis durum eſt, ſi patiare, leue eſt.
Sis mihi tu quodcunque voles, ſis dura licebit,
Sis pariter mollis, æqua, & iniqua, feram.
Vna mihi placita es, viuam modo, te ſequar vnam,
Vna meis fies Cynthia Carminibus.
Siue ego per Syluas, ſeu per caua Saxa relabar,
Vnam ego, & hanc unam elloquar Hermionem.

AD HERMIONEM.

Quæris cur pigræ tacito ſub ſydere Noctis
Ad te ego furtiuas arripiam vſque vias,
Mi neque ſeruorum Manns vlla, aut fida ſodalis
Dextera nocturnis ſit comes in latebris.
Has animi Dotes mihi das, hos vnica Faſtus,
Securum in tenebris me facis Hermonie.
Credam ego formoſam Seruis, cupidoque Sodali?
Hanc faciem externis credam ego luminibus?
Neſcit Amor Comiti fœdus ſeruare fideli,
Et ſubigit cæcas fratribus Inſidias.
Ille per aduerſos concordes impulit Enſes,
Et ferro ſtrictas ſoluit Amicicias.

Sit mihi, ſit Frater procul, & grandæuus Amicus,
Formoſa quiſquis vritur in Facie.
Mæret adhuc raptoſque diu ſuſpirat Amores
Candaulus ſtigios ſancius ad Lemures.
At potitur Regno, fruiturque vxore cupita
Proditor iniuſta ſub ditione Gyges.
Et queritur chari dudum, Diſcrimen Othonis
Pro Popeianis multa Nero foribus.
Dicitur hoc teneris timuiſſe Propertius Annis,
Nec vixit tanto Cynthia Flagitio.
O' quoties miſerum magna Menelaon in Aula
Penituit phrygium detinuiſſe Parim.
Sit mihi iugeribus ſocius, vel Rebus auitis,
Hunc unum chara deprecor à Domina.
Omnia me lædunt, & noſtras æmulor Vmbras,
Et Pulicem caſta conqueror in Tunica.
Matrem etiam timeo tibi ſi dedit Oſcula, uel quæ
Venit ab externis nupta Soror Thalamis,
Omnia iam timeo, Matrem, Fratremque, Patremque
Vt timeam, timidum me, tua Forma facit.

AD HERMIONEM.

Non tot threicio Lapſus Polydorus in agro
Detegit im laceros Spicula miſſa Sinus,
Non tot Vita pluunt matura ex Ilice Glandes
Cum nymboſa vagis Grando fuerit Sylüis,
quot mea veſanæ præfigunt Corda Sagittæ
Quot ferior duris Vita Cupidinibus.
In me crudus Amor crudeles ſuſcitat Ignes,

Et quatit ardentes ſæua Erycina Faces,
Et Tenebris,& Luce ſimul mihi Lumina turgent,
Paulatim liquidum ſoluor in Oceanum.
Et licet,& Lacrymis,& Fletu rumpar amaro,
Me tamen,heu,fluidum conſcius urit Amor,
Aeſtuat in miſero Curarum Pectore Campus,
Et tumidum aſſiduis Cor crepat Vlceribus.
O ſaltem tantas Mors aſpera finiat iras.
Aut mihi Libertas illa paterna ueni.
Ferte citi Claſſem,Ventis date Vela ſecundis:
Ducat in ignotas me mea Puppis Aquas.
Tutus,& in Syrtes,& per uada cæca Charybdis,
Dura proceloſi Bella ferum Pelagi.
Non me terribiles terrebunt Gurgite Phocæ,
Eruta nec rapidis Comminus Vnda Notis.
Quantum Oculis,animo tantum procul exeat,& ſic.
Languidus in tepidos fiat Amor Cineres,
Viſam ego Lotophagos,& acerbos Marte Sicambros,
Viſam ego circei Littora torta Maris:
Et quaſcunque Vias multo terit Aequore Nilus.
Quà que ſuum fecit Theſſala Puppis iter.
Illic Socraticæ meditabor Dogma ſenectæ,
Et relegam Verſus docte Epicure tuos.
Democritos illic:Zenonas,ſacroſque Platonas,
Aut ſequar Argiuo uerba notata ſene.
Ite parum fauſtæ miſero de Pectore Curæ,
Et Tu ſæua,nimis mox dolitura,uale.

AD HERMIONEM.

Ergo ſemper eris miſeræ Faſtidia vitæ?
Semper me exuret Filius Arſinoes?
Ergo nulla Dies, nullæ me denique Noctes
Felicem in dulci conſpicient Gremio?
Et promiſſa Fides Aura ſublata fugaci
Irrita thuriferos ibit in Armenios?
Crudelis, nudos Chalybes quæ Pectore geſtas,
Impia, quæ hyrcana Tigride peius amas,
Hæ gelidæ Noctes, hæc matutina Pruina?
Hæc toties canæ nexa Come Glacies?
Quid iuuat aut rapidos Soles, madidos que Decembres,
Sepæ ſub irato ſuſtinuiſſe Ioue?
Quid mihi te veneri prodeſt feciſſe ſecundam?
Quid te Carminibus nobilitaſſe meis?
Si tamen & Silice es, & Ferro durior ipſo,
Si Tomari rigidis Cotibus aſperior?
Iam te Bactra legunt, iam te niſeus Hydaſpes,
Naſcitur & de te nobilis Hiſtoria,
Iam que aliquis iuuenis Frontem miratus honoram
Hæret & obtutu immoritur tacito:
Tempora que admirans nexa fulgentia Gemma
Deficit, & ſtilla languet Acidalia.
Laudamur pariter, Forma tu Dotibus ipſe
Ingenij, laudor Doctus, & emorior.
Nam quot Riphæa dureſcunt grandine Guttæ,
quot tegitur uernis Ida virens Folijs,

Quot ve Thymni Flores ſicula naſcuntur in Hybla,
Et quot de Tyrio cortice Grana rubent,
Tot premor iratæ Veneris Mucronibus, at tu,
De non felici vate Superba tumes.
quid mihi uobiſcum eſt nemei Commertia Phœbi?
Lesbia cum ueſtris Plectra valete modis.
Quærebam faciles Aditus per Carmina demens.
Ferrea ſed noſtræ pectora ſunt Dominæ,
Ferrea ſint, atque illa truci ſit ſurdior Euro
Euincam hanc dulci pectine Duriciem:
Dura erat, at ceſſit Fidibus quintilia Calui
Et ſulmonenſi victa Corinna Lyra eſt.
Leſbia quid de te referam? quid Cynthia de te?
Hæſiſti vati Delia culta tuo.
Ipſe canam qualis de Rupe cayſtrius Ales.
Cum queritur miſeræ Tempora Sandapilæ:
Qualis Orontea perfuſus tempora myrrha,
Cum peteret raptam Thracius Eurydicen,
Sis licet ipſa Freto, & ſaxo collata Ceraunos
At fies verſu mitis, & æqua meo.
Sanguine Carminibus ſtilantia Sydera uidi,
Flaua que ſit ſterilis Carmine læſa Ceres.
Phœbe faue, Phœbe Aonidum Lux una ſororum,
Carminibus ſolis vincitur Hermione.

Ad Sophronium Roſcium

Viſus eram cæco Finem poſuiſſe Furori.
Et melius Flammæ conſuluiſſe meæ.
Paulatim, quæ me lento torquebat amore,

Tota ferè tepidos iuerat in Cineres:
Viſus eram vacuo iam dormitare Cubili
Et Noctem nullis Fallere Imaginibus,
Non caua rumpebam tacita Suſpiria voce:
Non mala in aduerſos Verba dabam ſuperos:
Sed mihi paccatam præſtabant Rura quietem.
Mintius egelida quæ uagus ambit aqua:
Illic Pampineis præcinctus Tempora ramis,
Fingebam gratis Verba ſub Arboribus:
Nec mihi defuerat deducta ſororibus una
Quæ caneret verſus lucida Terſpicore.
Interdum, dum feruentes Sol excoquit agros:
Merſabar Fluuio Laſſus Arundineo:
Et Manibus faciles feriens, & Poplite Lymphas
Rumpebam blandæ Corpore Murmur aquæ:
Nunc imæ Valles, nunc me montana tenebat
Argutis crepitans Aura ſuper Folijs,
A' quantum ex agris Agnos reuocare iuuabat,
Atque Hædum in pratis paſcere Cornipetam:
Aut ſubter Ramos, alta ve Crepidine Saxì
Paſtorem inter Oues conſpicere horripilum.
Iuidit, riſitque ſimul, dolüitque Cupido,
Et miſero pactas abſtulit Inducias.
En iterum trepidis hærere Incendia venis,
Et me crudeli ſtrinxit Amor Iaculo:
En iterum incertì fio noua Fabula Vulgì,
Et ponor turpes inter Ephemeridas.
Vror & indomitas concepi pectore Flammas

quas poſſet nullus abluere Oceanus:
Et quantum Tyrio Cretæ Regina iuuenco,
Tantum ego non duræ concalui Dominæ.
Et modo contorto Crini,tumidæ que Papillæ,
Et modo formoſis hæſimus in Faculis.
Quàm gratum eſt Iuueni mollem ſpectare Puellam,
Quæ non ſcabroſo Corde gerat Silices.
Nunc laudo Menelae tuæ facta aſpera Pugnæ,
Nunc Phrygium Patriæ ſuſtinuiſſe Necem.
Non ego detraxi Furto Iouis,undique cum ſe
Omniuolus multas uerteret in Species.
Quos ego non paterer conſtanti Mente Labores?
Quæ non auderem Prælia? quas Acies?
Et mala Parrhaſii tranſirem Frigora cæli,
Othryſias Glacies,threicias que Niues:
Perferrem quodcunque graue eſt,modo dulcis Ocellos
Vna laboranti flecteret Hermione.
quam ſi quis tyrio ſpaciantem uiderit Oſtro,
Hanc Venerem tyria dixerit in Tunica.
quæ Phäethontæo ſi Membra argentea Rore
Cinxerit,una Viris imperat,una Deis.
Hanc ego depereo Sophroni candide Roſci,
Hæc una eſt quæ me concoquit Hermione.
Quòd ſi te ſolito uiſo modo rarius,hæc eſt
Parce oro,hæc Cauſa eſt,uror,& excrutior.

Quo tempore ceperit amare Hermionem.

Attica Cecropijs Phylomela receſſerat agris
Acriter iſmarij Fata gemens Ityli:

Protulerat vernos per florea Prata colores
Molliter heſperijs terra virens Zephyris:
Cum mea Lux roſeos in me deflexit Ocellos,
In me cum certos ſtrinxit Amor Calamos.
Creuerat incertis circum niger Ortulus Vmbris,
Iurares Cylicas quem coluiſſe manus:
Labitur hinc teneras argentea Lympha per herbas.
Et ſtrepit arguto murmure Riuus aquæ.
Hic mihi ſe primum tyrio nitidiſſima Peplo
Obtulit,& miſerum perdidit Hermione:
Illa inter ſocias fingebat ſedula Nymphas
Lucida purpureos Lilia per Calathos.
Et nunc formoſo connectens Pollice Flores,
Texebat teneris Serta Papaueribus.
Pendebant fuſi per lactea Colla Capilli:
Et ſua natiuus tinxerat Ora Rubor:
Aurea de coa fulgebant Brachia lana,
Brachia purpurea candidiora Niue.
Talis Læda fuit,puris cum Iuppiter aſtris
Venit olorino tectus in Exuuio,
Talis Agenoris dubia ludebat in Vmbra,
Componens placito mollia Serta Boui:
Vel ſic virginibus viſa eſt Dea grata Canopi.
Cum iacuit primo Martis in Hoſpitio.
Hic mihi Seruitium firma duxere Catena
Vibratæ illius ex oculis faculæ.
Ite procul caſidæ inſignes,Galeæ quæ minaces,
Hic,olim Martis,Miles eo Venereis.

Et mihi pampinea pendet de Fronde Corona,
Et religat comptas myrtea Sylua Comas,
Vos Martem, Martiſque graues cantate Phalanges
Semper ego uiſa cogito de Domina.

AD HERMIONEM.

Dum me caſta tenet contento Delia Neruo
Parere externo diceris Obſequio,
Et matutina colitur Nox atra Lucerna
Et mala damnoſis Rixa ſubit Canibus.
Non ego, ſed noſtri tibi ſit non ultima Cura,
Iraſcor placitis Lux mea Delitijs,
Non decet in viduo formoſam ſtare Cubili,
Nec venerem pigra ducere luxuria.
Sunt tibi quæ Priamum poſſint reuocare Papillæ,
Eſt Facies ipſis nata Libidinibus:
Et tua iam dudum vulgò ver parturit Aetas,
Delige felici, dum uacat, vngue Roſas
Serpit enim volucri que fuga celer euolat Annus:
Præcipitat canis curua Seneſta Comis.
O` ego ſi poſſem teneræ reuocare Iuuentæ.
Tempora ſi prima Tedia Militiæ.
Sed iam, quod ſupereſt, viuam, & te nulla voluptas
De noſtro poſthàc ſurripiet Gremio.
Iſtic in cupidis rixetur Lingua Labellis,
Mixtaque cum dulci Pax ſit amara ioco.
Iſtic me pluuio ceſſura Tonitrua Cælo,
Hic claudat tumidis turdibus Auſter Aquis,
O` valeant Syluæ rapidarum luſtra Ferarum,

Et de montanis Præda reuulſa Iugis.
Iam redeo, ſed dum redeo mea Vita, caueto
Ne pereant lenta Tempora Nequitia,
Nil equidem peccas, & quod nunc ipſa feceſſis
Hoc olim Europe fecit, & Erigone.
Turpe mage, ac miſerum eſt, vacuo requieſcere Lecto,
Et Veneris dulces perdere Blanditias.
Tindari, tantalea dum Vir ſpaciatur in Aula
Fouiſti niuero docta Phrygem lateri.
Quid Venus? O' quoties Fulmen motante Marito
Admiſit forti Pectore Gramigenam,
Aut modo frondoſa gratum deduxit in Ida
cum Puero molli mollis Adonide Opus.
Plurima quæ ſuperant, poſſent Exempla referri,
quæ tu, dum redeo, Vita ſecuta, uale.

AD HERMIONEM.

Hæc iurata fides? hæc eſt data Dextera? & olim
Conſcia de miſeris Sydera blanditijs?
En me quanta graui moueat Fortuna periclo,
Et Notus hybernis uexet in Aequoribus,
Tu potes externa Crines componere Myrrha,
Nec gemere è noſtris Caſibus Hermione?
Et potes arabio Faciem formare Cylindro
Ac uelut in primo Nupta Viri Thalamo?
Et formoſa nouo paſſim lucere Colore,
Et potes hæc ſiccis dura videre Genis?
Aemouis at non ſic vixit Phylacæia, poſtquàm
Protheſiläeo tabuit in Gremio,

Non ſic Aethclis Virgo, cum crudus in Oris
Degeret Oechalijs Amphitryoniades,
Vtraque, ſed paſſo per cærula Tempora Crine,
Pallebat triſti molliter in Tunica.
Mæruit, & Ventos Ithaci formoſa Calypſo
Fleuit in Ogygys anxia Littoribus,
Nec uerita eſt Thebis rapidæ ſe credere Flammæ
Iphias, in Charos miſta Viri Cineres.
His tua cur ceſſit præclaris Fama Puellis,
Ne fieres vulgò nobilis Hermione?
A muta Faciem, duros & comprime Mores,
Nec tua nocturno Vota cadant Zephyro.
Certe Perfidiæ Crimen ueſana dolebis,
Cum premet irato te Dea ſæua Pede,
Quæ me perpetuo Curis exercet amaris,
Vt miſerum arcadica Mellaniona Face.
Sed prius æquoreo naſcentur Fragra ſub Amne,
Pura que Parthenijs Gemma ſub Ilicibus.
Flaua prius uirides ſudabunt Mella Corymbi,
Liris & herculeo defluet Aſcanio,
quàm tua de noſtris rareſcat Flamma medullis,
Aut de Viſceribus exeat Hermione:
Nec caua ſurgentes raptabunt Nubila Verſus:
Hæc mea Vox Clario uerior eſt tripode.
Quòd ſi ſæpe meo uenias non ſera Dolori,
Non Aſiæ uereor ſpernere Diuitias.
Tum mihi Pactola pingueſcet Fluctus arena,
Et ueniet Calici Leſbia Mentoreo.

AD HERMIONEM.

Sic mihi tu facilis ſemper, nec ſurda petenti
Ianua, ſic pura ſit tibi Lingua Fide,
Vt gratum eſt quòd amo, quòd pro te impenſius uror,
Et ſolam toto depeream ex animo.
Quàm bena tunc uidi, cum te pulcherrima Rerum
Fors, & Amor noſtros obtulit ante Oculos,
Cum tibi me Nodo iunxit Puer aliger arcto.
Cum perij vultus languidus ante tuos.
Talis eras, qualis roſeo Tithonia Curru
Diua colorato proſilit Oceano:
Qualis ſpartano preſulgens uſſit amictu
Euectum idæa Claſſe Phrygen Helene:
Aut ut Amimone Satyro deprehenſa ſequaci
Vtque Ioui placuit Nycteos Antiope.
Hic ego cæleſtes inhians de vertice Crines
Rebar apollineas ſic nituiſſe Comas,
Cum tener in Dryadis longo ſpectabilis Oſtro
Conſona nileæ Fila mouet Citharæ.
Admirans que Decus Formæ, Nutus que loquaces,
Suggebam ex ægris grata Veneria Oculis:
Actutum tenues exarſit Flamma Medullas,
Cœpit & inſuetum blanda Fauilla Iecur.
Hic primum ſtudui ſoli tibi poſſe placere,
Cui nondum Collo fulſerat Androdomas,
Cui nondum ſyrio Crinis manabat Oliuo,
Et Nardum graciles non oluère Comæ.
Nullia tum maculis didici geſtare remotis,

Et colere Arabios,& colere Armenios.
Hinc quoque quem Lectus, quem ſegnem fecerat Vmbra
Interpidum ſanctis fecit Amor Manibus.
Non ego iam vereor nudæ requieſcere Terræ:
Non gelidum cæca Nocte pati Boream.
Sæpe per ardentes refero mea Corpora Soles
Nec ſæuit noſtram Syrius in Faciem,
Me iuuat aduerſos Greſſus geminare per Imbres
Et denſas rigido ſub Ioue ferre Niues,
Et modo nocturnæ Limen ſeruare Puellæ
Longa que riuali Bella ciere meo,
Nunc numeros uerſare nouos,& dempta Capillis
Serta pruinoſas porricere ante Fores.
Quicquid id eſt quod me fortem facit,hoc uenit ex te
Tu fortem ex Homine me facis Vna Virum
Per te,Qui fueram rudis,& ſine Frondibus Arbos
Nunc vireo,& viridi Cortice Luxurio.

AD MATIVM.

Quid toties torto deducis Sydera Rombo?
Ecquid ſanguineis Phæbus anhelat Equis?
Quid Tumulo reuocas pallentes Carmine Manes,
Vt durus uiuo Sulphure cedat Amor?
Deſine,nil Hecates,nil proſunt Pellicis herbæ,
Nil Meſſis Colles lecta per Aemonios.
Carmina collinos lædunt ferrugine Flores
Et ſteriles fiunt Carminibus Segetes,
Cantata teneræ deſcendunt Arbore Frondes,
Et redeuunt Ortus ad proprios Fluuij:

Solus Amor *marſo contendit* Murmure *ſolui,*
Docta meiilæi nil facit Ora Senis,
Teſtis Naricias *olim polypharmaca Pinus*
Suſpirans Fluctu Phaſias *æquoreo;*
quæ potuit Tantos *in mille nouare Figuras,*
Non *potuit ſolum flectere* Dulichium,
Quas non illa Preces,*quæ non Cantamina mouit?*
Nil *tamen aut* Cantus,*aut valuere* Preces.
Flebat,*& adductis plangebat Pectora* Palmis,
Callidus aſuetas Hoſpes *inibat* Aquas,
Improbe clamabat Vento *ceſſure ſecundo,*
Expecta faciles leniat Aura Vias.
Nunc Mare *commotum,triſtis nunc ſurgit* Orion,
Labitur auerſo panda Carina *Salo:*
Ille reluctantes uerrebat Marmoris Vndas,
At *Miſeræ* Fibris *altius hæſit* Amor.
Iſta Veneficij *fallit* Via,*Gramina fallunt,*
Rapta quæ colchiacis Germina Littoribus,
Vreris,*& refugis* Flammas *chariſſime* Matì,
Altera ſed Curru Meta *terenda tuo eſt:*
Bellidas effugias,& quam deuexit Adulter
Trans Mare,*ſæpe* Faces *Porticus illa gerit.*
Si *nunquàm* Lædæ *Phrygius ueniſſet ad* Vrbem,
Staret adhuc muris Ilion *àerijs.*
Parce Mero,*&* Canibus,*nocturnæ parce* Lucernæ,
His alitur Vitijs *deſidioſus* Amor.
Finge Fugam Lemnon,*altas allabere* Thebas.
Nec *pudeat* Galeæ *conſeruiſſe* Caput.

C

Proderit & calido Glebas verſare Ligone,
Et domitos Oneri ſuppoſuiſſe Boues.
Rura decent, captant Animos molliſſima Prata,
Et quæ de viridi garrit Auis Nemore:
Hic aliquid poteris molli deducere Iunco;
Aut aliquid lentis texere Viminibus,
Te fingente, aliquis nodoſa forte Cicuta
Carmina Paganus concinet vpilio.
Saxa repercuſſos iterabunt concaua Verſus,
Muſabunt pariter & Nemora, & Dryades.
Tendideris, Calamo Piſcis pendebit in Vnda,
Tendideris, Laqueo conciderit Volucris.
His animi Morbos poteris depellere Curis,
Hæc tibi Rura dabunt, atque Alia, atque Alia.

AD EGNATIVM.

Ter mea Niliacæ ſtetit officioſa Papyro,
Ter ſumpſit Calamos Dextera gnoſiacos.
Et iam nodoſæ ſpirabat Carmen Auenæ,
Fingebat Numeros pallida Melpomene.
Vidit, & ardenti præfulgens Cynthius Oſtro,
Riſit inornatæ ſtridula Fila Lyræ;
Et Mox purpureis reſerans ornata Labellis
Ora, dedit tales Aureus ipſe Sonos.
Maſte quid inſanis? Stipula quid quæris inerti
Auriculas vatis lædere Pierij?
Quid iuuat Oceano Riuos donare minutos?
quid Flores ſiculis addere Marginibus?
Tu facis exactos tenui de Pumice Verſus,

Sæpe philetæa languidus in Cithara,
Ille Sophocleo ſpectabilis intonat ore,
Præcinctus noſtra Daphnidæ Cæſariem,
Et meritò, quem Theſpiades, quem candida ſcuit
Permeſſi in ſacris Fontibus Vranie,
Ariſit cui naſcenti Cyllenius Ignis.
Quem pauit libycis docta Meliſſa Fauis,
Hunc Dryades, hunc Naiädes, faciles que Napææ
Ortum, virgineis occuluere Roſis,
Paulatim Carmen ſacro tenuauit in Antro,
Bellerophontæi qua fluit Humor Equi,
Hinc illum legit & Tanais, legit illum Erimanthus,
Et picturati Littora Santonici,
Viuit, & in toto lucens Egnatius Orbe
Emicat, in Cætu nobilis aonio.
Deſierat, cum non longo Sermone ſecuti,
In ſubtermiſſos ſoluimus Ora modos.
Phœbe tuas quoties, memini, deuectus ad Aras,
Pro Boue, pro Fibris, Thura, Roſas que dedi:
Nec puduit parua, qui nunc eſt Aureus, Aede,
Fronde coronatum Septra tuliſſe Iouem.
Adde quòd æmoniæ paſtor tu ſæpe Cicutæ
Hæſiſti, grato pronus in Obſequio,
Rumpit in Oceanum Fluctu regalis aperto:
Et paruum Trebiam ſecum habet Eridanus.
Interdum leuiora iuuant, & vilis Oliua
Appetitur poſita gratior Alecula,
Riſit, & argutum dixit ſectare Laborem.

O' argumentis ingenioſe tuis.
Sectabar, cum non longo poſt Carmine, Finem
Impoſuit noſtris Muſa procax Numeris,

AD HERMIONEM.

Vt male languentes cælantur Febribus Artus:
Vt male de triſti dulce Animo loquimur.
Cur ego nunc de te Verbum ſenſiſſe recuſo,
Cum, niſi quod de te ſentio, nil placeat?
quæſiui ſi me longo ſuper Aſtra Volatu
Ferre queam, aut imo uiuere ſub Pelago.
Quàm certos in me mouit Puer aliger Arcus,
quantum Oculis uiſa es aurea tu miſeris,
Sic cæpit Nymphe cupidum peneia Phæbum,
Sic placuit Perſeo Edita Caſiope.
Sed mihi cur fingo que nollem? aut aſpera Cura
Mi non ſuſpecta de te oritur mea Lux?
Exi Rumor edax, ſtultæque Inſania Mentis,
Et te Ventoſos Perfer ad Odryſios,
Nil mihi ſit tecum poſthàc, ſisque uſque, quod olim
Cum Populo Voces Mænadis iliacæ.
Te fugiant omnes, quales, quos Cura relegat
Multicomæ Tauros, Sedula Lampeties,
At mihi cum Domina Pax ſit, ferat impius Arma,
Et de fætoſa ſæpe bibat Galea.
Impius à timida procul eſto Virgine, Mauors
Mitis erat teneræ Cum placuit Venerì.
Depoſita Claua, Fuſos ad Penſa trahebat
Terrarum domitor Amphitryoniades.

Et modo Mæonia compoſtus Tempora mitra,
Horrebat lydæ triſtis Heræ Scuticam.
Me iuuet in Dominæ niueos ſtertiſſe Lacertos,
Oſcula quæ in Labris imprimere humidulis:
Illic me claudant Alpini Frigora cœli,
Elidis & crepitent Aere dati Tonitrus.
Hinc Alius Merci timeat, claſſi quæ Sabææ,
Et Gemmas uaſto quærat in Oceano:
Ille Tagi Fluctus, flauas que obſeruet Arenas,
De Nomadum & uectet Marmora Littoribus:
Nos furtiua Venus Complexu iungat amico,
Stringitur ut Viti Populus àëria.

AD HERMIONEM.

Quæris quid Ruri faciam procul Vrbe remotus
Iſtis Autumni Solibus, Hermione?
Mane pruinoſos Virgo Pallantias Axes
Cum mouet, & canis aurea ſurgit Aquis.
Templa peto, Diuum Præcibus Simulachra fatigo
Imponens humili thurea Grana Foco,
Inde Nemus, Syluas que uagus, Saltus que pererro,
Et iuga præcipiti uix adeunda Cane:
Hic iuuat agreſtes quæ Sues ſectarier, atque
Aſpera montano Bella ciere Lupo,
Nunc latebris timidos Lepores, Capreas que ſequaces,
Et Canibus trepidas ſollicitare Feras:
Interdum tortaſque Plagas, & Retia rara
Suſtinet è Ramis Pertica penſilibus.
Exhinc mordaci duræ de Margine Rupis

Cogimus inſuetas ad Laqueos Volucres,
Huc videas Genus omne Auium trepidantibus Aliſ
In caput, in Caſſes concidere appoſitos,
Ingeminant miſeræ ſtridenti murmura Roſtro,
Et tentant ipſa fallere Lina Fuga,
Et Pari & Meropes, & picto Pectore Progne,
Et ſæua in patriam Filia Cæſariem.
O' quoties illic grata detentus ab Vmbra,
Ex actam memini depoſuiſſe Famem.
Cæſpes odorata vulgò molliſſimus herba,
De Calathis poſitam ſuſtinuit Cererem.
Sæpe bibit tenerum ſpumantem Gramen Iacchum,
Flore colorato quod ſua pinxit Humus:
Potanti, crebrò placidæ venere Naphææ,
Venerunt miſtis Pierides Dryadis,
Illa Fidem, hæc Numeros blanda cum Voce mouebat
Sedula, virgineis cincta Caput Violis.
Dictabant, quæ mox Calamo ſcribenda notarem,
quæ legerent Cilices, & Domus Arabiæ.
Sic mihi per Syluas quæſita eſt Fama ſuperſtes,
Et tuus in noſtris uiuit Amor Tabulis.
Sæpe meos Agros, non magna quē rura reuiſo,
Et non ſollicitos Agricolas Operi.
Aut modo me ſpectat grauibus Vindemia Ramis,
Et tumido Bacchus de Botryone piger.
Nunc Pedibus nudis Vuas calcamus inertes,
Nec piget à pingui Præla mouere Lacu:
At, ſi me ſcabra tectum Ferrugine Cælum

Terret,& è pluuio perſtrepit Amne Notus,
Lesbia me Virgo ſocri me Plectra Philetæ,
Aut retinent docti Carmina Callimachi.
Rarò Animum iuuat ad ſanctas deflectere Leges,
Et legere incerti Verba diſerta Fori.
Hæc Ego,ſed ſine te valeant Vernantia Rura.
Prata que,cum que ſuis abdita Sylua Feris,
O'utinam has mecum poſſes requieſcere Noctes:
Et mecum his breuibus ludere Luciferis;
Tunc Ego deſpicerem Pactola quicquid in Vnda,
Quicquid & in tota naſcitur Armenia.

AD *Calphurnium Boſcium.*

Calphurni Latiæ Decus immortale camæræ,
Brixia Chiræa quem colit in Specula,
Vt tua præd xit mihi Littera,ſcire laboras
Quæ fuerit magni Cæna Licaorij,
Dicam quod gratum eſt,& quod petis enarrabo
Actutum verbis,vt potero breuibus.
In primis Lactuca ſedens, & Adonias arbor
Flore nouo iratum compoſuit Stomachum,
Mox tener agreſti ſurreptus ab Vbere Porcus,
De Verubus,primis fecit Iter Dapibus,
Quem Siſeris radix,quem raucæ Turba Cohortis,
Quem ſequitur dulci Turdus ouans Muria.
Inde Cothurnices,& toſtæ Fruſta Bidentis,
Condita in mundis Omnia Fictilibus,
Gauſape perterſo proceſſit Menſa ſecunda;
Et Squillæ,& coa Rhombus in Allecula,

Oſtrea, cum Mulis, & Paſſeris Ilia fordæ,
Concha que lucrini vecta Sinu Pelagi,
Lesbia campano certabant Pocula Baccho,
Lesbia, tergeminis condita Conſulibus,
Dum loquimur Fructu Mappam Pomona colorat,
Flaua que permiſtis Vua uenit Nucibus,
Carica rugoſa vulgò ſtetit obuia Palma,
Corna que de qualis aſpera raſilibus,
Hæc inter, docta conſurgens Voce Chariſtes,
Conuiuas dulci ſuſcitat Elloquio,
Cur, petit, obliquo nitantur Ventre Colubri:
Cur Crurum incedant Agmine Millepedæ:
Cur pedibus ſenis gradiens Formica laboret:
Magnæ molis eat quattuor ipſe Elephas.
Errecti his Animi Naturæ Arcana requirunt:
Vnde tremor Terris, unde Polo Tonitrus:
Cur fontis Lymphæ dulces, cur Doris amara,
Cur nitidus Cælo fulgeat Oarion:
Et quare tumidum fiat Mare, mox que reſidat.
Vnde uolent Nubes, unde cadant Pluuiæ:
Quid moueat Ventos, quid miſta Grandine Nymbos,
quid quatiat Cælo Lampadas horriſono:
Vnde Nigror Solis, Curſu cur deficit ipſo
Luna cruentato picta Genas Minio.
Dum muſſant, ac mirantur, ſtrepit aurea longè
De berecyntheis Tibia carminibus,
Surgitur, alternisque Solum premimus confeſtim
Paſſibus, hæc magnì Cæna Licaorij.

AELII IVLII CROTTI CREMONENSIS HERMIONES LIBER SECVNDVS,

DE ORPHEO.

Stertebat Paphiæ Flammis exuſtus acerbis
Herboſo vates Thracius in Rodope,
Languidus Eurydicen lamentabatur iniquam,
Pallidulo miſeros Ore trahens Gemitus;
Impia clamabat noſtro non æqua Dolori,
Surripuiſti Animum, ſurripuiſti Animam,
Acria conſumunt ægras Incendia Venas,
Et torpet Membris Spiritus in tremulis.
In me conſedit rapidis Fornacibus Aetna,
Aetna Pyragmæis ictibus increpitans:
Triſtis anhelanti lentas de Pectore voces
Vix refero, hæſerunt Faucibus Illecebræ,
Tu tamen Odryſio graderis Laſciua ſub Hebro,
Contemnens noſtræ Vulnus Amariciæ,
Læta, lauas puris tu Membra tenerrima Lymphis
Princeps ſtrymonias inter Amadryadas.
Sæua ſub umbroſis ardentes Collibus Horas
Fallis, Phlegræa nexa Comam Viola:
Aut ducis Choreas, molles formoſa per Herbas,
Aut Curſu timidos præcipitas Lepores,
A' ne te rapiant frondoſa Rupe latentes

Cornigeri Fauni, capripedes Satyri.
A' ne te lædant hamatis Teſqua Rubetis:
A' rogo ne Vati Vita Dolor redeas:
Nam mihi quòd Saxis, quòd ſis mihi, ſurdior Euris,
Euincam patiens hanc ego Duriciem.
Non te Scylla loquax, non te Zanclæa Charibdis,
Hyrcanæ non te progenuere Tygres.
Aut hos, aut ſimiles queſtus, Rhodopeius heros
Spargebat, fuſis Turgidus è Lacrymis.
Et iam Solis Equos decies thartesia Calpe
Stridenti merſos viderat Oceano,
Muta quieſcebat Trunco ſuſpenſa tenaci
Curua Lyra, & querulis nullus Honor Fidibus.
Interea ſæuos formidat Cerua Leones;
Et trepida hoſtiles effugit Agna Lupos.
Suſpirant proni Colles, non Saxa reſultant,
Et luget poſitis Sylua Cacuminibus,
Non picturatis compoſtæ Tempora Sertis,
Ibant demiſſis Naiades Oculis.
Per Campos omnes Suſpiria concrebreſcunt,
Et Pallenæos Antra dolent gemitus.
Non tulit hoc æquo vultu Vulcania Coniunx,
Ex alti Specula proſpiciens Ericis;
Sed propter gelidas ludentem Strymonis Vndas,
Exuſſit Facula Eurydicen gnidia.
Illa vbi per Venas Ignes concepit amaros,
Orphea ſuſpirans uritur, & moritur.
Non illi gratus Comitum Chorus heroinum,

Non Zephyri leuibus Sibilus in Folijs:
Sola per herboſas graditur mœſtiſſima Valles;
Qualis threicio Daulias in Nemore,
It miſera vrenti Pectus concuſſa fauilla,
Orphèà vociferans, Orphèà congeminans.
Clamantem eludit formatis Vocibus Echo,
Orphèà vociferans Orphèà congeminans:
Concaua reſponſant iteratas Saxa querelas,
Et reboat poſitis Aura ſub Arboribus.
Audijt, & Nymphæ cognouit Carmen amatæ
Thrax Iuuenis, geminis nixus humi Pedibus:
Vtque erat Amplexu porrexit Brachia longò,
Brachia, demiſſa languidiora Roſa.
Improbulus placito de Collo pendet vterque:
Aſpicit, & ridet Filius Arſinoes.
Extemplò ſolitæ redeunt in Corpora Vires,
Paulatim & viuus tranſit in Ora Color;
Qualis Sole nouo miſere pallens Hyàcinthus,
Mox matutino Tempore luxuriat.
Vix bene finierant luctantibus Oſcula Linguis,
Blanda que cum mixtis Murmura Blanditijs,
Implicitat Fidibus Digitos, & conſona longè
Obſtrepit argutis Neruia Carminibus.
Vndique conſpiceres deſcendere Montibus Ornos,
Et præbere graues Verſibus Auriculas.
Frugiferæ quercus, & coniferæ Cypariſſi,
Certant implicitis Plectra ſequi Gradibus:
Errat per placidas lætiſſima Buccula Tygres,

Flaua que cum niueo ludit Olore Aquila,
Quaſſat Fronte Niues, Crinem depexus, & udo
Vertice biſtonios obbibit Oſſa Modos,
Tollunt rorantes Fluuij de Gurgite Vultus,
Et muſſant Ripis thraces arundineis.
Ipſæ etiam uerno præcinctæ Flore Napææ,
Optant Phœbæas mollius ire rotas;
Exultant Rupes, & cominus aſſonat Vndæ;
Vox percuſſa cauis emicat in Specubus.
Ille autem Iouis æterni cantabat Amores,
Furta que ſimplicibus cognita Virginibus;
Vt nouus hæſit Amans in Virgine nonacrina,
De Phäethontæis dum queritur Facibus.
In Faciem vt caſtæ mutatus, & Ora Dianæ
Incautam Syluis preſſerit Arcadiæ,
Improbe tu tyrij cælatus Imagine Tauri
Fouiſti molli molle Latus Maratho.
Tu cæli patiens, Fraterna per æquora prolem
Hærentem Tergo ducis Agenoream.
Te iuuat Acriſij ferrates, fallere Poſtes,
Stertiſſe & vetitæ Virginis in Gremio,
Nec puduit Semelen inuitis urere Flammis,
Regia que in parua Sceptra ciere Caſa:
Quæ tibi mens Virgo Sacro cum territa Nymbo
Ignibus arderes acriter æthereis?
Bacche quid exultas facto Matre, atque Parente,
Qui ſolus verè debuit eſſe Pater?
Digna coronari tantis Athlanti Lacertis

Vt deflorato recta tumes Vtero,
Per te tolluntur Phœbea Pergama chorda,
Et nitet in pelta Miles Amazonia:
Per te collucent pura Capitolia Gemma,
Et domina èois Roma triumphat Equis.
At non Tænaria cecidiſſet Lyceus haſta,
Stertiſſet ſterili ſi Pater in Gremio.
Ibat Amyclæas Læde formoſa ſub umbras
Flauentes Auro nexa Comas tenui:
Heliadum Lacrymis,& ramifero Corallo,
Fulgebant cypria perlita Colla Roſa,
Vidit,& incaluit cæleſti Iuppiter Arce,
Et tacitum ægroto Vulnus alit Iecore:
Tyndarei aſſiduo mæret Cuſtode teneri,
Et duram ad Furtum ingemit eſſe Viam.
Sed bene tu ſciſti Volucri componere Viſcum,
Nil tibi difficile eſt Iuppiter Omniuole,
Tectus Olorina voluiſti ludere Pluma,
Arcanum & Veneri comperiſſe modum:
Inde grauis Virgo concepto prodit ab Ouo,
Et phrygiæ Flammas,& Ratibus Zephyros.
Et tibi purpureos Titanis roſcida Currus
Tris paſſa eſt longos ſtertere Luciferos:
Hic tu nigranti geminatæ Noctis in Vmbra
Inuictum formas Amphitryoniadem,
Ex te Melpomene,Clio,Clius que Sorores
Labuntur pulchræ Mnæmoſines Vtero.
A' nimium durus,nimium & crudelis Amator,

*Cur mugit Flu*ctus *Inachis ad patrios?*
En miſera inſuetas acrè depaſcitur herbas,
Et timidæ Fronti quæ gerit Ar mo, timet.
O' quoties verita eſt inſani Cornua Tauri,
Et ſibi non æquum Vulgus Ariſtoridæ:
O' quoties Cælo turgentes flexit Ocellos,
Dum Lacryma aue ſos orat Opem Superos;
It Trepida in Syluas, & opertas Arbore Valles,
E' quibus alipedes egerat ante feras,
Spectat Amadryadum Choreas, Luſus que Sororum
Anxia, languenti multa mouens Animo.
Improbe quid tum Animo voluebas Iuppiter? hoc eſt
quod raptæ Spolium Virginitatis habes?
Efferа conceſſo lætatur Munere Iuno,
Et gaudet magno impoſuiſſe Ioui.
Sic recinens Vates, Ignes referebat auitos,
De teſtudinea Fila Cheli quatiens.
Et iam phæbæos patrias Galatæa per Vndas
Aequoreo laſſos Imbre lauabat Equos.
Suadet Amor Fidibus Requiem, blando que canentis
De collo pendens improbula Eurydice.
Aſtant atonitæ Valles, Montes que, Feræ quæ,
Noctem illi dulci comminuunt Venere.

IN AVRORAM.

Inuida cur properas Aurora rubentibus Alis
Stertentem tenebris præcipitare Diem?
quid iuuat ingratos Homini monſtrare labores,
Et præbere nouo Pectora Seruitio?

Tu ſurgens cogis miſeros conſurgere Agreſtes,
Et curua nigrum Falce ferire Nemus.
Te naſcente, Bouem Curru ſubmittit Arator;
Et teneros Flores ſedulæ Apes populant.
Per te furtiuos Virgo ſuſpirat Amores,
Et queritur uiduo mæſta diu Thalamo;
Inuida tu dulci Somno, facili que quiete,
Atque Homines fraudas, & Pecora, & Volucres.
Sic me, Quem tenui nuper velarat Amictu
Morpheus, humanas aureus in Species,
Sic me luſiſti celeri deuecta quadriga,
Et de Tithoni lapſa Sinu phrygij.
Hic mihi quam Fatum negat, & Vis aſpera Cœli,
Formoſam veniens ſurripis Hermionem:
Illa etenim Lateri noſtro ſecura ſedebat,
Optanti referens Delitias Animo.
Et modo laſciuos in me vibrabat Ocellos,
Conniuens torto blanda Supercilio;
Et nunc deducens imo Suſpiria Corde,
Formabat Numeros dulcibus Alloquijs;
Qualis vbi ad Pholoèn nonacrina Atalantà
Mellanionæo concubuit Laterì:
Aut qualis gratis mulcebat leſbia Tribras
Cum Mytilenæi Blanditijs Animum.
Nec me fallebat doctæ Facundia Linguæ;
Sic vero viuos Ore dabat modulos,
Et noram molles circum mea Colla Lacertos,
Atque impreſſa Labris Suauiola humidulis.

Preſſabam niueum que Femur, tumidas que Papillas,
Iam que parata fuit pronior in Venerem,
Cum tu rimoſos iam dudum ingreſſa Feneſtras
Tam bona purpureis Gaudia rumpis Equis.
Impia quid cum tu Cephalum complexa tenebas,
Raptaſſet ſi Quis de cupido Gremio?
I mala, nequicquàm Superæ dignanda cohorti,
Perfida, veſana Subdola Nequitia.
Cur cum roranti graderis ſuper Aethera Biga,
Non Axem alpini præcipitant Boreæ?
Conqueror, illa leues tollit ſe Roſida in Auras,
De que meo prorſus Læta Dolore rubet.
Alme venì me me aprehenſa placidiſſime Morpheu,
Et charam tecum fer Deus Hermionem.
Vmbra venì Phœbo longè formoſior, & ſit
Iſta quieſcendi Nox mihi perpetua.

AD HERMIONEM.

Hæ mutæ Rupes, hæc Antra arcana querenti,
Hæc tacita Ardori Sylua facit miſero.
Prome nouos Gemitus, & ſæuos Lingua Dolores,
Omnia que his ſurdis pone ſub Ilicibus.
Quis modus inſano fiet Cytherea Calori?
A' Dea prægnanti parce Faci nimium.
Quid iuuat emeritum forti vexare Catena?
Vrito peruerſos Robur in Hippolytos.
Bis lauit rapido Currus Alphæus in Amne,
Et bis victrici ſplenduit Elis Equo;
Cum mea creſcentes urunt Præcordia Flammæ,

Et toſtis

Et toſtis intus æſtuo Viſceribus.
At vix per cauſam licuit quandoque cupito
Amplexu,& Vultu poſſe frui placito,
Viuite Felices quorum Fortuna ſecundo
Ordine,conſtanti vertitur Obſequio.
Me mea crudeli deducunt Sydera motu,
Per me non unquàm Ver nitet auricomum,
Vt durum eſt acres Animo verſare Fauillas,
Nec mala conceptæ prodere Signa Facis.
Stat quoties trunca Pelagus conſcendere Pinu?
Et velo Fluctus radere multigrumos?
Vltra Maſſagetas,& ſparſas Cycladas vltrà,
In medÿs Curas ponere Vorticibus?
Sed quæ me perdis,quæ me mihi deprædata es,
Cogis me nullo viuere Conſilio.
Cur quoties in me furaces flectis Ocellos
In Stillas abeo?cur tremo?cur caleo?
Te viſa pereo,cælata impenſius vror,
In noſtrum nata es Exitium Hermione.
Non mihi Lux grata eſt,& amara torqueor Vmbra,
Sic malus impoſito me Pede preſſat Amor.
A' cur non fari licet?& maiora timemus?
Littus habet,Fontes,& Nemora Auriculas:
Sed tantum liceat,valeant Cari,atque Sinones,
Diſpereat Quisquis detrahit,& ſimulat.
Vita caue,ſed ama.quodque eſt committere Cuiquam
Difficile,id credas Ingenio,& Calamo:
Vna ſit ambobus,miſeros quæ paſcit Amantes,

Spes viua, & patiar longo in Amore mori.

AD AMICAM.

Heù quæ me Noctes, ec quæ me Inſomnia dira,
Terrificant fædis Doris Imaginibus?
Mecum vnà molli viſa es luſiſſe ſub Vmbra,
Muſſanti leuibus in Folijs Zephyro;
Mulcebat Stratos teneras leuis Aura per herbas,
Purpureum Volucris dum Vaga Ver ageret:
Hinc, illinc Violis argentea Lilia mixtis
Surgebant Fontis Margine de nitidi.
Natiui blando ſerpebant Murmure Riui,
Et viridis torta Ripa madebat Aqua;
Flammeus è puri rutilabat Vertice Cæli,
Multifidum ſpargens Crine Iubar Phàëton:
Procera tremulæ nutabant Arbore Frondes,
Monſtrabant laſſis nigra Torum Nemora:
E' Riuis ſubito cornutus ſoluitur Amnis;
Qualis ad Oenotrios labitur Eridanus:
Aprico Pennas ſiccant in Littore Mergi,
Et Mæandreis garrit Auis numeris:
Proſpicitur Piſcis ſummas enare per Vndas,
Fallacis Calami tutus ab Inſidijs:
Erratæ que diu pallenti comminus Amne,
Et faciem, & Crines comere Naìàdes:
Ecce repentina tegitur Ferrugine Cælum,
Bruma que Riphæis præcipitat ſcopulis,
Aurea flammigeri torpeſcunt Lumina Solis,
Atra quæ ceruleo Nox ruit Oceano;

Euolat hinc Boreas crepitanti Grandine cinctus,
Hinc Auſter prægnans Fluctibus æquoreis.
Abrumpunt Ignes piceo'cedente Nigrore,
Et totum liquidas Cælum abit in Pluuias:
Aſpera ſanguinea molitur Fulmina Dextra
Iuppiter, horriſono terrificans Tonitru.
Iam que receſſuro lugebat Sylua Decore,
Et nudum grato flebat Honore Nemus:
Cum Læuo Teli magni Iouis armiger Ales,
Præpetibus pennis Aethere deſiluit,
Et niueam hamatis ſurreptans Vnguibus Agnam,
Ventoſos volucris fertur ad Odryſios.
At me fontana Vates purgauit in Vnda,
Cantata ducens Sulphur, & Oua manu.
Qui, poſtquàm ſancta libata eſt Mola Fauilla,
Fatidico tales protulit Ore Sonos.
Vmbra, quies, Herbæ, Riuus, Sylua, Aura, Volucres,
Hæ ſunt queis dudum fingeris Illecebræ:
Amnis, & exigua tinctum Ferrugine Cælum,
Hæc ſunt cedentis Commoda Materiæ;
Quæ mox de piceo Tempeſtas Turbine nata eſt,
Fallacis Dominæ denotat Inſidias:
Sed quæ de Cælo furtim volat Ales iniquo,
Heù mala quot ſignat ſæua Dolore tuo:
Extremis veniet diues Riualis ab Indis,
Auro conſerta diſcolor in Tunica:
Hic viſam in niueo depexæ Vellere Lanæ,
Ardebit limis Dorida Luminibus:

Hic & Cuſtodes Auro corrumpet auito,
Et trepidam è caſto ſurripiet Thalamo.
Ecce peregrinis vehitur tua Vita Corymbis,
Et de teſtatis per Mare currit Aquis,
Dixit, & inſano Voces hæſere Labello,
Viſus & eſt ſolitò Maior, & Horridior.
Admonita his mea Lux, & duri præſcia Fati,
Ne te cuſtodi crede Supercilio,
Obdura, & uigila, miſero ſuccurre Furori,
Et ſaluos vno Corpore redde Duos.

AD HERMIONEM.

Vt durum eſt Paphijs Artus conſumere flammis,
Et cyprias ægro Corde Faces alere;
Me me compoſito dudum Cytheræa Veneno
Vſſit blanda tuis Hermione ex Oculis,
Et gratum eſt pro te vigiles deducere noctes,
Et tinctas molli ferre Genas Viola;
Per te venturo uiuam felicius æuo,
Imbraſo notus, notus & Armonio,
Et mea Moſynicus releget Suſpiria paſtor,
Et dicet miſero quàm fuit aſper Amor,
Nec falsò dicet, nam quis numerare dolores
Poſſet; queis demens vror, & emorior?
O' quoties aliò, fateor, transferre Calores,
Et volui triſtes ponere Luxurias.
Vix Oculos in me deflexerat Aelia gratos,
Auſa loqui torto blanda Supercilio,
Quandò mutaui duræ Diſcrimina mentis

Parthorum Calamo promptior, & leuior.
Non ita flagrabat media Leander in Vnda,
Cum peteret cæca noctæ Sinus Dominæ,
Nec ſic Arcadijs mærebat rupibus olim
Hyleo trepidans Vulnere Mellanion.
Felicem nimium fortunatum que Laborem,
Qui duram Domino mollijt Iäſida.
En ego ventoſum Veneris deuectus in aequor,
Pallidus vndoſo Turbine deſtituor.
Vna potes quaſſæ Rabiem ſubducere Puppi,
Et Formidato vela referre mari:
Et facies, lenis que mea flectere Camæna,
Mollita eſt Vatis Cynthia carminibus.
O' quoties ibat ſub nocte Propertius atra,
Acria rimoſis Verba gemens Foribus:,
Edebat que nouos tacito ſub ſydere Verſus
In matutino peruigil Obſequio;
Illa manu placida nocturno rore madentem,
Et gelidum, tepido ſuſcipit in Gremio:
Humida que impreſſis tacite rapit Oſcula Labris,
Ore trahens dulcem grato Animam Gemitu.
Quòd ſi me tali dignabunt Sydera Faſtu,
Tum valeant crudi Pigmalionis Opes.

AD Andream Gritum Ducem Venetiarum,

Cane Senex, Vrbis Splendor, Patriæ que Columna,
Cui paret tortis Adria Littoribus;
Cane Senex, cui ſancta Fides, aſtrea que Virgo
It comes, & Pietas, & Probitas, & Amor,

Sic te hilarem æterni ſeruet Clementia *Fati,*
Atque annos viuas Neſtoris,*&* Priami;
Sic tua terribiles luceſcant Geſta *per* Indos,
Per Cilices,*&* per Bebricas,*&* Morinos,
Vt *te ego ſincerè fixum ſub* Pectore *ſeruo,*
Et *faueo* Vita,*atque* Animo,*atque* Anima:
Et *meritò,quis enim* Verſu,*vigilique* Minerua,
Audeat intrepidi Facta *ſuperba* Ducis?
Tu Fabios,Tu *ſcipiadas,fortes que* Camillos
Aequas,& magni Nomina Fabricij.
Vt *bene tu faſces* Vrbis,*ſanctum que* Senatum
Et *regis,& tanto conſulis* Imperio:
Per *te ſacrarum fulget* Reuerentia Legum,
Et Rectum,*&* Recti *candida* Simplicitas.
Iam ſileant immenſa Numæ *miracula,quicquid*
Is fuit,agreſti debuit Aegeriæ.
*At tu,*Natura *que tua,ingenioque ſereno,*
Maturo que facis Omnia Conſilio.
Dij benè habent,quare dulcis Fluor Hippocrenes
Non *mihi muſcoſo proſilit è* Lapide?
Cur *Aganipei non norunt* Pocula *fontis,*
Nec mea Mopſopio *Labra madore fluunt?*
O *quali canerem te* Carmine,*qualia de te*
Efferrem ad gelidos uſque Boryſthenidas.
Attamen id Faciam *pro* Viribus,*vt mea ſemper,*
Quæcunque eſt tibi ſit dedita Terpſicore.
Et *quia* Saturni *rediere* Crepuſcula,*quorum*
Mos eſt demiſſa cuilibet ire Toga,

Queis licet, & fas eſt, Regem, Dominumque Clienti
Iandudum certis viſere Muneribus.
Non ego te linquam immunem Dux inclyte, clare
Mecænas, noſtrum Præſidium, atque Decus.
Sed neque rugoſa veniet tibi Carica Palma
A' me, nec quicquid Romulus ante dabat,
Cum capitolina nundum foret aureus Aede,
Et coleret ſteriles Iuppiter Exquilias.
Nec te Pactoli Fluctu, nec Vellere Phryxi
Donabo, aut Merce diuitis Arabiæ:
His etenim vulgò tua te Fortuna beauit,
Inque tuo nitidum ſplendet Ebur Thalamo,
Venator Syluæ Prædam, Piſcator Aquaì,
Lac, Hædos, Lanam traderet Vpilio,
At quid Muſarum purus, Phœbique Sacerdos
Te dignum, cui ſunt Omnia Pierides?
Omnia Pierides ſunt munera, & Omnia Phœbus,
Hæc mea erunt igitur Munera Pierides.

AD IOVEM.

Accipe Verbenas, & olentes floribus Aras
Tot procul abſentis Millibus à Patria:
Accipe rugoſo lacrymatas Cortice Myrrhas,
Extremis vectas Finibus Arabiæ:
Et Precibus gratas adhibe pie Iuppiter Aures;
Nec mea cedentes vota ferant Zephyri.
Non ego te Phrygiæ Lucos, Saltus uè popoſci,
Atria non altis aſpera marmoribus;
Non vt nigrantis fiam nouus Accola Nili,

Aut latè ſcindam Iugera Gangaridum:
Sat Fortuna potens patrijs arriſit Agellis,
Et me non humili protulit ex Vtero;
Des, oro, faciles Auras, Ventos que ſequaces,
Et mea paccato Cymba volet Pelago;
Et caue præcipites ne vertant Aequora Cori,
Me que procelloſum tollat ad Aſtra Mare;
Ipſa mihi Thetis medijs eludat in Vndis,
Et criſpent ſalſos Nereides Latices,
Da Patriæ Fines, & dulcia Tecta ſubire,
De que meo Collo pendeat Hermione;
Quales nyſeæ ramoſa ex Arbore Vites,
Aut quales Hæderæ Parietibus tenues.
Illic me Boreas, illic me exaſperet Imber,
Hic me veſani terreat vnda Freti;
Huius in Amplexu fiat mihi martia Clotho,
Nec pudeat ſacræ rumpere Fila Coli.
Illa manu mæſta claudat morientis Ocellos,
Cædentem & poſito ſorbeat Ore Animam;
Hæc gelidos Artus pingui deducat Amomo,
Et Fleat incomptis ad mea Buſta Comis.
Flebit enim, Vultus & ſuſpirabit amatos
Pallida, demiſſa languidior Viola:
Qualis Ciſſeis Priami de Vulnere coniunx,
Aut Bruti viſa Portia Sandapila.
Arida quæ poſtquàm Lacrymis aſperſerit Oſſa
Triſtis, ad ingratos plurima quæſta Rogos,
Delectos Cineres pura componet in Olla,

E Caltha, & Cithyſo, & Caſia, & Maratho.
Sed quid ego hæc ægræ recolo Contagia Vitæ?
quæque minus vellem, Carmine vaticinor?
Dij melius. tecumque mihi fœlicia præſtent
Tempora, non vlla diſoluenda Die.
Tu modo ſupplicibus præſens Deus annue Votis,
Soſpite me larga mox venerande Manu.

AD ORTALVM FRATREM.

Ortale Pympleæ cuſtos certiſſime rupis,
Ortale Parthenijs dedite virginibus,
quid dudum ſine me communi fingis in Vmbra,
Ad dulces Auras collis Oliuiferi?
Nam meritò tibi Parnaſſi fauere Puellæ,
Increpuit que Lyra Phœbus acerſecomes.
Forſitan exeſis Famam tu quæris in Antris,
Longa que deciduis Secla ſub Arboribus.
Dum te vernanti delectat Sirmio Ripa
Benaci Fluctu nobilis æquoreo.
At nos antiquæ miramur ſtemmata Romæ,
Et fumo nigras Vrſidij Statuas,
Miramur fœdos Coruini puluere Vultus,
Et mancum naſo Caſtora dimidio.
Hic olim ſteterat ſæui Domus alta Neronis,
Hic Patrem celeri Filia preſſit Equo,
Cæſaris hæc magnos aſpexit Porta Triumphos,
Illa Numantini ſplenduit ære Ducis,
Me iuuat immenſam mollem ſpectare Theatri,
Et dare Famoſis Oſcula Marmoribus:

Vidimus euerſas Sedes, Lucretia quondam
Quas tenuit, dempta cruda Pudicitia.
Hæc nos, & ſi quid vacui ceſſammus ab iſtis,
Scribimus iratæ Duritiem Dominæ.
Sola etenim noſtro ſtuduit formoſa Labori,
Atque obiter ſegni conſuluit Calamo:
Hinc eſt quòd quandoque graues narramus Amores,
Aut querimur miſeræ Crimina Luxuriæ.
Nam ſeu compoſitis furtim conniuet Ocellis,
Seu quicquam arguto dulcius Ore ſonat,
Naſcuntur ſubitæ Vires in Verſibus, atque
Fingendi creſcit commoda Materia.
Et modo laudamus tortos à Fronte Capillos,
Purpureas que Genas, marmoreos que Sinus.
Nunc facimus tenui comptam procedere Coa,
Et nunc tenarijs fulgere Muricibus.
Lætamur que Hedera Crines ornare ſequaci,
Seu Cytheræa tua, ſeu mage Bacche tua.
At tu victrici Lauru ſacra Tempora cingis,
Armatosque refers ad fera Bella Duces:
Inſtruis hoſtili florentes ære Cateruas
Ortale, Pierijs cognite virginibus.
Inſuda, & longam deduc per Carmina Vitam,
Et Vita, atque Anima Frater amabilior.

AD HERMIONEM.

Quid quereris mea Lux capta crudelius Vrbe?
quid fles ſygea durius Heſione?
Deſine non æquo Pectus vexare dolore,

Et tepida Faciem tingere Lacrymula.
A' ne putas acres in me tepuiſſe Calores?
A' ne aliqua Ardoris ſigna damus gelidi?
Me ne putas aliæ teneris hærere Lacertis?
Me ne data credis poſſe carere Fide?
Diſpeream niſi tu Forma mihi charior omni,
Et Læda, & culta gratior Andromeda,
Per te ſpinoſas refero ſub Pectore Curas,
Me que Venus torret cum face Dyrrachia.
Externor qualis furijs commotus Oreſtes,
Vtque deo mota Baſſaris Ogygio:
O' Vtinam ſæuos poſſem monſtrare Furores,
Et rabida inſani Monſtra aperire Animi:
In me fumantes poſſes cognoſcere Tedas,
Aeternumque malæ Virus Amaritiæ.
Vror enim, qualis Curru reſupinus inani,
Cum cecidit Phàëthon Fluctibus Eridani;
At iuro Iouis antiqui per Fictile Fulmen,
Per Venerem, & ſi quid dulcius eſt Venere,
Nulla mei, niſi tu, preſſit Veſtigia Lecti,
Nulla Pedes noſtris impoſuit Foribus,
Cur ego perpetuos tecum conſumere ſoles,
Cur nequeo noctes ducere continuas?
Felices Hyemes Saturno Principe, ſub quo
Libera conſtabant Omnibus Arbitria;
Hærebat Iuuenis, turba ſpectante, Puellæ,
Nec mala miſcebat Murmura Rumor edax,
Sæpe leui ſtratos in Gramine uidit Amantes,

Vidit, & arriſit præteriens Populus.
Matre ſimul præſente, ſimul præſente Parente,
Sedit Amans blandæ Virginis in Gremio:
Dulce erat hic Oculos dudum ſpectare loquaces,
Acria que immiſſis Iurgia Blanditijs;
Excita dum lentas inflaret Cypria Venas:
Dum ſtreperent cupidis Baſia rapta Labris;
Quales torquatæ cum iungunt Roſtra Columbæ,
Alta per umbroſæ Culmina Chaoniæ.
Cur ego ſic nequeo Curas explere tenaces?
Amplecti que tuos Hermionea Sinus?
Penderem qualis frondoſa Vitis ab Vlmo,
Aut Minoi tuis Euyus ex humeris.

AD Calphurnium Boſcium.

Calphurni Latia merito celebrate chorea,
Cui cingunt nymphæ Tempora Maſitholæ,
Quid tantum de Fortuna, de Sydere crudo,
Ceſſuro nunquàm Carmine conquereris?
Cur malus inſueto deſæuit Pallor in Ore?
Turbida que è triſti ſit Facies Lacryma?
Ergo quòd turpis vexaris Turbine Linguæ,
Quòd de te vulgus non bona Verba ſonat,
Hæc tibi erunt tanti Faſtidia, protinus vt ſint
Perpetui Luctus, perpetuæ Lacrymæ?
Nam quereris qualis Diæ Minois ad vndas,
Qualis Cecropio Daulias in nemore;
Et palles, vt Mæonia iam frigida vena,
Bis ſeptem ad flammas queſta Rogi Niobe,

Deſine te Ruga ſic deformare ſenili,
Curarum inſanam pelle animo Rabiem,
Sic tua Calliope, ſic nobis notus Apollo,
Supplicibus præſens porgat Opem Numeris,
Non decet Aonia cinctum peneide Vatem
Fortunæ volucris Axe quati celeri,
Scilicet hæc magnos potuit vincire Platonas?
Aut unquàm Zenone eſt irreprehenſa Rota?
Flebat creſcenti Sapiens Mortalia Luctu,
Ridebat Vulgi Fabula Democritus:
Tu cui ſunt Muſæ comites, & Teſpia rupes
Angeris, & ſurgens te facit Ira alium?
Mutaſti patrios Amnes, mutabis & Vrbem,
Hoccine tam magni cauſa Doloris erit?
Natus ad herboſos Saltus Sulmonis aquoſi
Inter pellitos Naſo Getas perijt;
Mantua diuinum genuit piſcoſa Maronem,
quem gemuit Fato præpete Parthenope.
At miſeri eſt Patria nunquàm diſcedere, & unà
In Patriæ fieri ſorte ſenem Laribus.
Hinc Mariandinas poteris cognoſcere pinus,
Quot que parit Fontes cernere Thermodoon;
Atque Arabum Meſſes, & olentes Thura Sabeos,
Aut ſacra virginei Littora Parthenij.
quòd ſi me forti laxaret Vita Catena,
Et mea me Laqueo ſolueret Hermione.
Tecum vnà Italiæ Fines luſtrare ſuperbos
Gauderem, atque vltra Pæonas, & Lapithas.

Sed teneor, qualis Marij cum vincta doleret
Colla, triumphales ante Iugurta Rotas,
Pelle Animo hos æſtus, atque hoc te Faſce leuato,
Mutata tandem lætior Heſperia.

AD IMPORTVNVM.

Exultent alij ſoli ſibi, mi licet iſto
Mordaces Curas ponere Lucifero.
Me decet hac poſito lætari luce Tyara,
Et madidas Sertis implicuiſſe Comas.
Hæc Animam noſtræ dedit Importune Puellæ,
Hac primum ad Cunas vagijt Hermione;
Et meritò nobis Pactola charior vnda,
Et Phrygia, & tota gratior Arabia:
Funde igitur Genio mecum, indomitos que Falernos,
Et Methymnæus ſurgat in Ora liquor.
Paſcat Aper Syluas, & olentes Buccula Campos,
Non cadit ad noſtros victima cæſa Focos.
Maſcula vernanti fument de Ceſpite Thura,
Et crepet ad puras herba Sabæa Faces.
Ecce colorato Crines depexus in Auro,
Surgit ab eòo Cynthius Oceano.
Et mala Threicij poſuerunt Flamina venti,
Blanda que purpureo ſibilat Aura mari:
Implet odoratas natiuis Verſibus Auras
Arbore ſub tremula picta gemens Volucris.
Funde iterum Genio Thaſſum, Setæque Fluores,
Cuſtodi que bono vre Roſam, & Violam.
Alme Deus, volucres hominum qui colligis annos,

Et pariter docili conſulis Imperio,
Sic quodcunque animo fingis, ſuades que labanti,
Efficiat nulla noſtra Puella Mora;
Oro, fac vt Votis non ſit contraria noſtris;
Sed quod ego, hæc eadem ſentiat, & cupiat.
Interea hæc viua fumantia Liba Fauilla,
Atque iſtas tepidi Lactis habe Pateras:
Mox, Domina potiore frui ſi forte licebit,
Aureus ad noſtros aſpiciere Lares.

AD GALLVM.

Ad te neſcioquæ quòd iam venere Tabellæ
Princeps Aonias inter amadryadas,
Quòd te neſcio qui iam conuenere Libelli,
Naſutum extemplò Rinocerota facis.
Diceris extremis ſubitò riguiſſe Medullis,
Tanquàm porrectam Gorgona proſpiceres;
Et te lernæo iandudum armaſſe Veneno
In me, tanquàm huius Conſilium Sceleris;
Si Scelus eſt Aſcræ charo dare Carmen Amico,
Et deducta manu Carmina Pieria:
Sed te non æquo quàmprimum Faſce leuato,
Et me difficili ſurripe Cordolio.
Non ego niliacæ ferar inſudaſſe Papyro,
Vt meus imponat forte tibi Calamus.
Nec cuiquam ſuaſi picturam imponere Chartæ,
Vt de te faciat forte Periclum aliquod,
Notum eſt Pympleis valeas quid verſibus, & quid
Bellerophontei Fontibus Elloquij.

At non debueras acri tam ſtruere flamma,
Non Animum his Curis ſollicitare tuum.
Plectrum Phœbus amat, frondoſas Deliæ Syluas,
Nauita de Zephyro, de Rate, Verba facit.
At tu, Pægaſeam cur dedignaris auenam,
Cum tua Mopſopium ſuſcitet Aura Iubar?
Ad Mecœnatem ſcribebat Oratius, idem
Dilexit magni Carmina Virgilij.
Dum que Antenoreo meditatur Flaccus in agro,
Ad Flaccum ſcripſit ſæpe Poeta cocus.
Pelle animo hos Ignes, & Equo trahe lora remiſſo,
Et ſolitas Alnus trunca recurrat aquas.
Tempore te nullo noſtro diſſcluet Amore
Diuinum ſanctæ Fœdus Amicitiæ;
Et tua ſit nobis Facies auerſa licebit,
Hinc ego deſiſtam nunquàm ab amore meo,

AD HERMIONEM.

Has credam humanas cæleſti pondere ſortes,
Curari has altis credam ego Cælitibus?
Scilicet ignota deſpectans Iuppiter Arce
Periura ætneo ære ferit Capita?
An magis inſanos conturbant ætheris Ignes
Præcipites Boreæ, præcipites que Noti?
Et quatit incertum mortalia Pectora murmur,
Carceris æolij cum patuere Fores?
Comminus arabio fumantes Thure fauillas,
Succinctas que alto ſtare Popas Gladio,
Cælatis quisquis Diuum proſpectat ab aſtris

Ridet,

Ridet,& effuſis mollis hiat Precibus.
Cingite Verbenis,& odora cingite Fronde
Phana coronatis aurea Marmoribus.
A' pereat quisquis primos inuenit in Vſus
Pallidus,ingrato porgere Vota Ioui.
I nunc per Cælum,per que ignea Sydera iura,
Falle Iouem,& caſtæ Palladi Verba dato.
Impia quis Tedæ ſæuas adiungere Flammas,
Addere quis iuſſit te,oro , Camino Oleum?
Non ſatis iniuſtæ Veneris torrebar Aheno,
At non me crudo fixerat ære Puer,
Tu niſi flammiferi contemnens Numina Cæli,
Iuraſſes miris in mea Verba modis?
Delia quæ cæcas luſtras argentea Noctes,
Quæ Syluarum & habes.Imperium,& Barathri,
Scis Dea,ſcis æque virgo Latonia queis ſe,
Aſtrinxit nobis Verſibus Hermione:
En nunc illa malo Geminæ perculſa Nitore,
Alterius turpi conſidet in Gremio;
Ducitur & ſine me largo Nox quanta Lyæo,
Et ſtrident querulis Limina ſub Foribus.
Diſpereat quicunque leues ex Montibus Alnos
Duxit,& incerto Vela dedit Pelago:
Inde peregrinos exarſit Virgo Colores,
Et quodcunque rubris venit ab Aequoribus.
Hinc Oſtro,& molli captæ Bombice Puellæ,
Cæperunt miſeras vendere Luxurias.
I puer hinc Veneris,ſpumaque exorta marina:

Auro creſcit Amor, non Face, nec Calamo.
Improba, lernæa miſero crudelior Hydra,
Nec non hyrcanis Tigribus aſperior,
An potes erectos ad Sydera tollere Vultus,
Huius inhumanæ conſcia Nequitiæ?
An quoties puri Cæli tonat Arce ſerena,
Fulmina periuro miſſa times Capiti?
A' rogo, fallaces Animi iamque exue Faſtus;
Empta Venus paruo durat in Obſequio.
Diues Amans breuibus poſt Solibus in mare curret,
Alpino que tuus cum Borea ibit Amor:
Aſt ego, quem tecum ſtricto Venus aurea nodo
Nexuit, & viuens tecum ero, & moriens.

AD FREDERICVM COVVM.

Noſtrum dulce Decus, chari ſpes chara Parentis,
Vnica Muſarum Gloria Frederice,
Sic te vocales Chordæ, ſic & Nemus Aſcræ,
Sic tua te nunquàm deſerat Vranie,
Huius inhumanæ Brumæ per Tempora pigra,
Ec quid non pigro ſurripis è Studio?
Scitur enim, quali iam te donarit Auena
Cynthius, & quali Carmine Pierides:
Nam tu fingebas culto tunc vſque Tibullo
Digna, & Threicijs apta quati fidibus,
Cum tua de noſtro manaret Pectore Vena,
Dictatos que modos Auribus ebbiberes,
Nunc audes maiora, & Lauru digna virenti,
Et Lituos forſan concinis, & Galeas:

Hinc eſt quod tenues iam dedignare Cicutas,
Noſtra que non multo Verba notata Sale,
Namque vbi & Andinos colles, & liquimus Arua,
Quæ ſpectat iuncto Mintius Eridano,
Vt ſalſos Fluctus panda ſulcauimus Orno,
Et tenuit noſtros Adria ſurda Pedes,
Ad te ſæpæ meo de nomine picta Papyrus
Muſarum dulces attulit Illecebras.
Sed non vlla tuo diſcedens Limine viſa eſt
Pagina, quæ gelidas venerit Illirias:
An ne tuo noſtrum prorſus de Pectore Nomen
Tam ſubitò, & toto coruit ex Animo?
Verum, te rogo per Crines, & Apollinis Ora,
Et per Naiadas, & per Amadryadas,
Ne pigeat Studij Curſum frenare ſeueri,
Et nobis aliquas ſcribere Blanditias.
Nam te diligimus, quantum dilexerat olim
Euryalus Niſum, aut Theſea Pirithous.
Id me cogit Amor tuus, & tua blanda Venuſtas,
Atque animi Dotes ingenuæ, & faciles;
Et niſi me triſti torqueret Fronte Cupido,
Nec Dea mi laqueos tenderet, & Faculas,
Vnum te, Fratresque tuos, charum que Parentem,
Donarent noſtro Carmine Theſpiades.
Sed me ſæua Venus Flammis exurit acerbis,
Et iubet irata ſcribere de Domina:
Hinc quandoque meo legitur nimium aſpera Verſu,
Nunc aequa, & mitis comminus Hermione.

Sic, hoc Curarum Vitam traducimus Aeſtu,
Et iuuat inſana ſæpe mori Rabie.
At tu, cui plena maduerunt Labra Meduſa,
His monitus, miſeris conſule Temporibus,
Et me ſæpe tua, quæſo, dignare Camæna,
Vnica Muſarum Gloria Frederice.

AD HERMIONEM.

Palladis, & Phœbi genialis Turba, valete;
Poſſidet agreſtes noſtra Puella Caſas;
Et Venus, & noſtra deceſſit Filius Vrbe,
Iugera que incuruo Vomere Vterque terit.
Ipſa Dionæa Mater circundata myrto,
Ipſe Latus picta cinctus Amor Pharetra.
Hic, atque hic, calido verſatur Gleba Ligone,
Verſanti Coruus plurimus incrocitat.
Hic Pecori, & Volucri dulces indicit Amores,
Ruſtica de Concha iam Dea facta ſua.
Mollia de Vernis turgeſcunt Floribus Arua;
Parua que cum Cythiſo pallet humi Viola.
Et matutino gemmantia Lilia Rore,
Et Roſa nocturnis mane tumens Zephyris.
Hic igitur mea Lux tenera ſtipata Corona,
Herboſam niueis calcat Humum Pedibus;
Dulcia frondoſis quærens Vmbracula Syluis,
Dum malus arentes Syrius vrit Agros.
Felices Dumi, quibus eſt conceſſa poteſtas,
Mortalem Venerem tangere, & aſpicere.
Munere de veſtro pexos circundata Crines,

Inuidioſa Choro vadit Amadryadum.
Cur ego non fiam formoſi Cultor Agelli,
Lanati ve Gregis hiſpidus Vpilio?
Dij benè habent, quoties collina pronus in Vmbra,
Pauit Auentina Romulus arce Boues?
Aut modo Velabri pullas ducebat ad Vndas
Demulcens Palmis Vbera compoſitis?
Barbarus inſonti Littus proſcidit Aratro,
Et ſulcum incultæ fecit Oſyris Humo,
Regia cui Coniunx non æquis Paſſibus hærens,
Spargebat niuea grandia Farra manu:
Forſan & àeriæ dum vitem iungeret Vlmo,
Surripuit Labris Oſcula purpureis.
Ipſe legam varios tenui de Cæſpite Flores,
Componamque tuis Crinibus Hermionè,
Aut modo decerptas maturis Vitibus Vuas,
Virgatis condam Dædalus in Calathis:
Et nunc penſilibus altè pendentia Ramis,
Deducam facili roſida Poma manu.
Nec me Paganos calamos inflare pudebit,
Non dare concordi ruſtica Verba Pede:
Ipſe nouum Carmen dubia ſcrutabor in Vmbra,
Corniger herboſa dormiet Hædus Humo,
Tu molles Choreas formoſo in Gramine duces,
Obſtrepet incertis Aura ſub Arboribus:
Antra repercuſſos iterabunt concaua Verſus,
Et Syluæ, & Valles, & Scopuli, & Nemora:
Applaudent Pecora, & Volucres, Rûpes que canenti,

Sparget inhumanas clam Cytherea Faces;
Agna Faces, Paſtor ſæuos bibet horridus Ignes,
Et Fauni, & Satyri, Naiades, & Dryades.
Tum mea de Collo pendens non impia noſtro,
Mille dabis raptim Baſia, mille feres.
Viuite paccatis almæ ſub Turribus Vrbis,
Quos Fora, quos doctæ Plectra tenent Citharæ,
Nam me per Campos, & nigras Illice Valles,
Sic iuuat ad Dominæ conſenuiſſe Latus.

AD HERMIONEM.

Scabrida purpureis lucebat Luna ſub Aſtris,
Et Nox occiduis ibat anhela Rotis,
Frondibus hærebat teneris argenteus Humor,
Humida cæleſti Rore madebat Humus,
Corniger obſcuro cum me vellarat amictu
Somnus, ſanguineis Ora litus maculis;
Cum me blanda quies tepidis afflauerat Alis:
Serpſerat & lentus ima ſub Oſſa Sopor.
Othryſias Glacies, & ignauæ Frigora Brumæ,
Et Cauri rigidam threicij Rabiem,
Igne promethæo Tectis arcere videbar;
Vrenti rapido cæſa Foco Nemora;
Horrebant denſo nigrantes Aëre Nymbi,
Et Niuibus canis ægra rigebat Humus;
Ecce videbaris Valuas ingreſſa patentes,
Tendere in Amplexus Brachia lenta meos,
Candenti niueos Artus inſignis Epheſtri,
Argutum in parua nixa Pedem Solea.

Pendebant pexi per leuia Tempora Crines,
Blanda que virgineus tinxerat Ora Rubor,
Qualis erat patrijs virgo Nelèia menſis,
Iphichli cuperet cum cupida vna Boues;
Aut qualis poſito madida ad Conuiuia Baccho,
Cum rapta eſt medijs Lancibus Iſchomache,
Qualia, quot vè mihi tunc Oſcula grata dediſti?
Quot vè tibi noſtra eſt Lingua recepta modis?
Donec marmoreos Vitta nudata Papillas,
Soluiſti molli molle Latus Tunica,
Cœperat vrentes æqua Face Lectulus ambos,
Atque Venus tacita conſcia Læticia,
Aſpiceres nexos per Brachia, Lemnius olim
Coniugis vt certum fecit Adulterium:
Nec ſecus hæſiſti timidæ Romane Puellæ,
Preſſit vt hoſtiles capta Sabina Toros,
Hoc ego non humili mordaces Carmine Rixas
Illatas pariter & Femori, & Lateri,
Non ego tam breuibus componam Prælia neruis;
Prælia de Paphiæ rapta Sinu veneris,
Id ſciat innocuo quiſquis indulſit Amori.
Quilibet id per ſe ſentiat, & videat.
At mihi te placidam Somnus facit, & tua forte eſt
Mens alia, & noſtro libera Propoſito.

AD *Leonardum Venetum.*

Non tam lætata eſt Cæli Manus, impia poſtquàm,
Deſijt immitis Enceladi Rabies,
Prouidus æolio cum Sulphure Iuppiter Othrin

Suſtulit à Pindi Vertice nubifero;
Non ſic inferna Pelopis Pater exul in Vnda,
Vt cecinit Stigios Th acius ad Lemures;
Non caſtum Ippolytum cum Delia caſta recepit
De Radamantheis anxia Littoribus;
Ac ego romano poſtquàm ſignata Lepore
Obtulit ad noſtros ſe tua Charta Lares:
Tum mihi cæperunt imis Præcordia Venis
Inflari,tacita conſcia Lætitia.
Non ego belligeris mallem tum Iura Sycambris,
Non Martem ad gelidos ferre Borriſthenidas.
Vnde ſacra Lauru Crines,& Tempora cinctus,
Aureus aſtantem ducerer ad Populum.
O' quoties noſtris hæſit gratiſſima Labris
Littera,mox eadem eſt fota Sinu tepido,
Dij benè habent,quantum nobis vetus illa Priorum
Simplicitas,quantum præſtitit illa Fides.
Certè in te recti ſtudium Leonarde refulget,
Atque Aequum,& Pietas,& Probitas,& Amor;
Et meritò tu Lux Vrbis,Gentis que togatæ,
Cui cadit in cultos deflua Lena Pedes,
Vidi quos pro me domina Maris Vrbe Labores,
quos inquàm es paſſus Littore in adriaco:
Ex quo ſemper ero tibi deditus,& tua vulgò,
Viuent in noſtris Nomina Carminibus.
Te léget & Tanais,incerti que Hoſtia Nili,
Te Tagus,& flaua turbidus Iſter aqua.
O' Ego cum trepidos Lintres calcare licebit,

Et Tonſa Fluctus radere multigrumos;
Atque altas medijs Turres ſpectare ſub Vndis,
Structa que de pharijs Atria Marmoribus.
quòd ſi mi'antiquis Atauis cornelia Proles
Nobilis, ingenio nobilior patrio;
Secum vnà & Portus, & amicas fecerit Aedes;
Tum feriam ſummis Sydera Pollicibus.
Sic ego nec Coi Lucos, nec Plectra Philetæ,
Nec loquar inſani Somnia Callimachi:
Non hedera tenui Bacchus. Cypris ve coronet,
Cingam phœbæa Daphnide Cæſariem:
Et Citharæ querulos extendens Pollice neruos,
Incipiam Oſtrina Conſpicuus tunica:
qualis Amyclæo præfulgens Cynthius oſtro,
Cum caneret magni fortia Bella Iouis.
Hinc toto pariter cantatus in Orbe Learcus,
Viuet in æternas Clarus Olympiadas,
Viuet, & extremos inuadet Fama Britannos,
Moſſynicos, Morinos, Santonas, & Rhemios;

Ad lucinam vt tueatur.
Floriam parientem.

Diua parens fer Opem noſtræ Lucina Puellæ,
Digna quidem eſt celeri quam tueare manu:
En miſera inſuetos patitur ſine fine Dolores,
Et queritur tardæ Tædia longa moræ.
Te vocat, & roſeo ſuſpirans clamat ab Ore,
Diua veni, inque meos candida curre Sinus,
Casta faue Lucina, graues compeſce Dolores,

Diua veni,& caſtas ſuſcipe caſta Preces.
Ehù ſi qua pijs flectuntur Numina Verbis
Diua veni,& noſtros ſedula tolle metus.
A' tantum exagitas miſeram cur dura Parentem,
Cur tantum à miſeram chara feris Soboles?
Deſine ſollicitis Pedibus vexare Parentem,
Deſine blandidulas attenuare manus,
Parce,precor,celeri tenerum corrumpere motu
Sinciput,& Renes ſollicitare tuos.
Vt quę tibi ingreſſu facilis fuit,& ſit in ipſo
Egreſſu facilis,blanda que Porta mihi.
Sed Torus inſolito paſſim ſplendore coruſcat,
Coccina que ambroſio Syndone tacta nitent.
Lucis adeſt Dea,ſurgentes depone querelas
Floria,nam puras audijt illa Preces,
Pone modum Lacrymis,Teneris iam parce Papillis,
Turgidulis que Oculis,turgidulis que Genis,
Alba coronatas exurant Thura Fauillas,
Et crepet aſsyrio ſubdita Flamma Croco,
Sparge Focum violis,& vernis Floribus Aras,
Certent purpureis Lilia cana Roſis.
Iam ceſſere Metus,turpes ceſſere querelæ,
Et peperit roſeum Floria tacta Marem.
Aſpice laſciuos ueluti ſuſtollat Ocellos,
Quàm bene candidulas iactet ad aſtra manus,
Creſce puer dilecte mihi,mea Gaudia ſolus,
Deducant que tibi lucida Fila Deæ.
Viue Annos felix Phrygij ſenis,atque Aganipe

Dexter mæonijs, ſit tibi Carminibus.

AD *Protheſilaum Couum.*

Chare mihi, & Muſis pariter chariſſime, Coue
Nobilis, è Proauis edite Nobilibus,
Quod legis vndoſa deductum eſt Carmen in Vrbe,
Adria quam morſu cingit edax rabido.
Hic, vbi me ſæui tenet Inclementia Cæli,
Abſentem à chara tam procul Hermione,
Hic, vbi me ſalſa Thetis circunfluit Vnda,
Tam procul Aſpectu Protheſilae tuo,
A' cur non poſſum hos tecum deducere Soles?
Cur nequeo his tecum viuere Luciferis?
Tu ſolatiolum, & Rerum ſpes vna mearum,
Charior ambobus tu mihi Luminibus.
Ex te noſter Honor, noſtra ex te Gloria pendet;
Et mi Hæderæ per te circuiere Caput.
Ocia tu, tu ſurgentes in Carmina Vires,
Materiam, & Calamum præbuit Hermione.
Tu mihi Mecænas vulgò, Cæſarque fuiſti,
Atque ipſis multò gratior, & melior.
Hinc noſtris grato fauerunt Verſibus Ore
Pægaſides, Bacchus, Cynthius, Arſinoe.
Et monſtror Digito Vates nouus, atque ita quiſque
Hic eſt, qui Couo Vindice ludit, ait.
Sic tua Nobilitas, & ſic tuus æque Amor in me,
Et quam vix Hominum eſt dicere, Simplicitas,
Gratia que, & nulli Virtus ceſſura Latino,
Sic obiter tua me blanda Charis decorat.

O' quoties memini cum me fingente, ſolebas
Furtiuis Digitis vellere mi Auriculas.
Et mox creſcenti ſubridens dicere Voce,
Ec quid cum Mortuis loquere? eia agedum.
Me miſerum Ocnæos cur non ego cernere saltus,
Ocnæos Saltus cernere cur nequeo?
Non hic mordaces agerem ſub Pectore Curas,
Nec quaterer duris Sollicitudinibus.
Non me noſtra Venus Facibus torreret amaris,
Non ſic veſana non morerer Rabie.
Lux mea quos de me tecum nunc colligis æſtus?
Quos æſtus de me colligis Hermione?
Verum ego quid de te mihi cogito? quid mihi de te
Formoſo, & molli cogito nunc mea Lux?
Qui fratrem, Matrem & timui, timui que Parentem,
Et Pulicem in Tunicæ Margine virgineæ?
Felix qui Dominæ præſentes ſpectat Ocellos,
Illius & dulci ſtringitur in Gremio.
Ec quis me in toto viuit rabioſior Orbe?
Vt procul Amplexu facta meo Hermione eſt?
O' Iter infelix, iter inquàm durum, & acerbum,
Vt procul Amplexu facta meo Hermione eſt.
Ite procul Phœbi Comites, Phœbi quæ Sorores,
Et quiſquis rores colligis Aonios.
Non hic veſtra Domus, Syluas habitatis opacas,
Et puros Fontes, & Nemora umbrifera.
Diſpereat quiſquis primus fundauit in Aequor
Marmora, & hæc reſluo Tecta habitanda Mari.

Non veſtrum eſt Muſæ Lintres ſpectare natantes,
Nec grauidas Pinus Mercibus Arabiæ.
Veſter Ego actutum cogor dare Vela retrorſum,
Inque mei Coui curere Blanditias.
Illic veſtra Domus, illic impune Thalia,
Et ſoror Aglaia ludit, & Euphroſyne.
Coue Iubar Patriæ, charo mihi charior Auro,
Dum redeo, noſtris annue Delitijs:
Sic Tibi Dij faciles, & ſit tibi Iuppiter æquus,
Sic mea me nunquàm deſerat Hermione.

Ad Bembum de Obitu.

FLORIAE.

Quæ tibi de ſacro Benaci Littore venit,
Accipe pars Animæ maxima Bembe meæ.
Accipe, & extremas Oculis percurre Lituras,
Tota que de Lacrymis oblita Verba meis.
Deſine Blanditias tacito perquirere Vultu:
Ingenium nobis abſtulit ipſe Dolor.
Non mihi, vt ante fuit, ſcribendi Feruor, & olim
Deſeruit noſtros ipſa Thalia Lares.
Quisquis erat fugijt dicendi Carminis Vſus,
Ceſſit & obducto Puluere factus iners.
In Luctum, in Gemitus, in longa Obliuia rerum,
Mens animi inſueto victa Dolore, perit.
Me Priamum, canum que facit me Neſtora Langor,
Et Facies miſeris humida de Lacrymis.
Inficiunt Venas ægræ Faſtidia mentis,
Vltima que Aetatis Facta Ruina meæ eſt.

Cernis vt aſſiduis torpeſcat Campus ariſtis;
Et ſterilis fiat qui modo pinguis Ager?
Cernis multifida quæ dudum fluxit in Vnda,
Soluitur vt tenui ſæpe Carina Vado?
Et Iouis in Luco Palma redimitus agreſti
Non intermiſſis concidat Axis Equis?
Sic ego ſollicitis Curarum merſus in Vndis,
Ante diem canas cogor habere Comas.
At licet, atque libens Lacrymis merſabor amaris,
Cæleſti poſtquàm ſic placuit Choreæ,
Vt rapuit crinem noſtræ Proſerpina Vitæ,
Inuidit noſtris vt mala Parca bonis,
Occidit, inque leues ſeceſſit Spiritus Auras,
Occidit illa meæ firma Carina Ratis.
Occidit egregias inter pulcherrima Nymphas,
Gloria pierij Floria ſola Chori.
Floria Gargaphijs non inficianda choreis,
Vna Semiramia Floria docta manu,
Docta Lyra, præſignis Acu, celeberrima Verſu,
De Phlegetonteo nunc bibis Vmbra lacu?
Nunc ſtygios ſectaris Apros, an Retia Ceruis
Tendis in Elyſijs conſcita graminibus?
A' mala quæ mihi te rapuit Sors, a' mala certè,
Quæ te immaturum Mortis adegit iter.
An potuit Lacheſis tam clarum rumpere Filum?
Talia que in rapidis vrere Membra Rogis?
Impia, digna tuo Lacheſis de Vellere rumpi,
Impia, quid dubitem Numina & ipſa mori?

Cuncta laceſcita reſecat Mors improba Falce,
Efferá que in ſuperos Ius habet vna Deos.
Quid Phœbus, quid Theſpiades, quid Forma, quid Aurũ.
Quid vé iuuat caſtæ Fama Pudicitæ?
Non licet aut Vitula, non te placcare Iuuenco;
Flecteris ad nullas Mors violenta Preces.
Nec, ſemel infernas vbi mæruit Vmbra per Vndas,
Accipiunt triſtes Littora ſurda Modos.
Aeternæ Noctes, & Ferri Robora, claudunt
Erecto ſcabras ex Adamante Fores.
Sed tamen & facile eſt, atque impia rumpere Fata,
Aſpera que æternæ fallere Iura Coli.
Et potuit Cæli Hippolytum duxiſſe ſub Auras
De Rhadamanteis Delia porticibus.
Et potuit duro raptam de Funere, Vates
Eurydicen dulci Thrax rapuiſſe Lyra.
Quis me pæonias doceat de Collibus Herbas?
Quis me Pænigenæ Limina culta ſeni?
Quis Citharam, doctam que Chelym, quæ Pectine pulſa,
Spumea Cerberei leniat Ora canis?
At pater omnipotens alta ſuſpectus ab Arce,
Improba tartareæ Suſtulit Auſa Viæ.
Auctorem que malo percuſſit Fulmine, & Orci
Præcipitem triſtes truſit ad Excubias.
Edentem que nouas blanda Teſtudine Voces,
Crudeles Cyconum diripuere Nurus.
Aurea marmoreas enabant Plectra per Vndas,
Et ſtupuit tumidis thracius Hebrus Aquis.

Floria, quæ mihi te rapuit Sors improba? quæ te,
Quæ te immaturum Mortis adegit Iter?
An deerant tibi mille modi Mors dura, volebas,
Si dare laurigeris læta Trophæa Rotis?
Aſpice quot Reges vacuis dominantur in Aulis,
Quot Populos vaſti ſeligat Vnda Maris:
Et poteras Phrygijs Opibus, Regnisque ſuperbis,
Et de Cæſareis Inuida ouare toris.
Lux erat hæc Terris, hæc Lux erat Vnica nobis,
Hæc Deſiderij maxima Cura mei.
Hanc mihi tu prima rapis Importuna Iuuenta,
Hanc mihi tu teneris ſurripis Vnguiculis.
Nec pudet hos Viola, vel pictos Murice Vultus
Vrere nocturnis Imperioſa Focis?
Ergò meis abero defeſſus Amoribus? ergò,
Ergò abero à chara continuus Domina?
Nunquàm ego te Numeros, & dulcia Verba ſonantem,
Audiero Vita Doris amabilior?
At flebo ad Tumulum miſeræ Faſtidia Vitæ,
Et plangam tortis Pectora Verberibus.
Concaua lugubri reſonabunt Templa Querela,
Et feriet dominos ſtridula Muſa Deos.
Qualis in Ogygijs queritur celeberrima ſyluis,
Et gemit amiſſum Daulias ales Itym.
Sic nunquàm ad Cineres Luctus ſolabor amaros,
Et caua de Lacrymis perfluet Vrna meis.
Hic erit Hoſpitium nobis, miſerandus ab alto
Mortali donec ſoluar ab Officio.

Tu vero ante Rogum,*chari Solamen Amici,*
Ad nos certa tuæ Carbaſa tende Ratis,
Vt *lotum,& pingui deductum corpus Amomo,*
Componas *triſti* Languidulum in *Tumulo.*

AD SOMNVM.

I*nflexos molli* Crines *præcincte* Iuuenta,
Virgineas *croceis picte* Genas *maculis*
Somne,*leuis tardo ſeuit cui* Dextera Cornu,
O' *toties larga* Somne *precate manu;*
En *agedùm vt longas pigro ſub ſydere* Noctes
Deducam *miſeris peruigil* Excubijs.
Nona *pruinoſos virgo* Pallantias Axes
Mouit *ab èòi* Fluctibus Oceani:
Et *toties cæli ſurrexit* Lucifer Arce,
Multifido *ſpargens* Crine Iubar *nitidum.*
Et *toties* Currus *flexit formoſa ſerenos,*
Claruit *&* Cornu Delia Virgineo.
Me *tamen inſomnem conuexi ſydera* Cæli,
Inſomnem *paribus cernit* Equis Phàèthon:
Ehù *cur placidis à me* Deus *effugis* Alis?
A' *libeat* Virga *me tetigiſſe breui.*
En *miſero vrentes abſumunt* Viſcera Febres;
Torpet *& obliquis* Pupulla Luminibus.
In *me* Riphææ *que hyemes,& turbida* Flamma
Sæuit,*leucadijs æmula* Thermopilis:
Et Dolor,*& captæ terit* Inclementia Mentis:
Incenſum *que vrit* Sæua,*& anehla* Sitis.
Interea *vaſtum dormit* Mare,*&* Vnda *cubantes*

Hinc, atque hinc, latè ſuſtinet Alcyones.
Stertunt alpini Boreæ, Lyparæ que ſub Antris,
Irati languet cæca Noti Rabies.
Feſſa ſilent Iuga Taygeti, & Marpeſia rupes:
Et Nemora, & Syluæ, & Pecora, & Volucres.
Solus ego inſomni refero Membra ægra Cubili,
Educens ipſis vix Animam è Labijs.
Somne veni, Diuum Iuuenis placidiſſime. ſic te
Suſpiret Læte Pallida; vel Flegethon.
Aſpice quot nexi per concors Fædus Amantes,
In Numen iaciant non bona Verba tuum.
Inde veni, te te & noſtros inde effer in Artus.
Et mulce Pennis Lumina feſſa tuis.
Sic multo mihi Thure Deus donatus abibis,
Et cinget Crines noſtra Corona tuos

AELII IVLII CROTTI CREMONENSIS HERMIONES LIBER TERTIVS.

AD VENEREM.

A Arſinoe Fluctu Terris euecta marino,
Grata Canopeis vocibus Arſinoe,
A' quales in me vibraſti Diua Sagittas
Implacidæ hamatis Hermiones Oculis:
Quos ignes, quæ vè egelidis Incendia Venis,
Et quas ex ægro Corde Faces refero?
Vror enim qualis pura Cephyſius Vnda
Tunc, cum demiſſo procubuit Capite.
Vror, & accenſas conſumit Flamma Medullas,
Et miſera in tepidos Oſſa cadunt Cineres.
Sic me mordaci duplex Amathuntia Cura
Iuſſiſti Soles ducere perpetuos.
Me miſerum, æternas geſto ſub Pectore Flammas,
Aeternas Flammas geſto Ego, Illa Gelu.
Illa Gelu, & duros nutrit ſub pectore Montes
Impia, Nympheis cotibus aſperior.
Hermione, Hermione, fæta Crudelior Vrſa,
His cur me grauibus ſæua coquis Facibus?
A' triſti Finem iam tandem impone Procellæ,
Et me creſcenti ſurripe Cordolio:
Sic bona te nunquàm Nemeſis notet, & tua longè
Vſtulet extremos Forma Boryſthenidas.

Ecce meo paſſim legeris noua Delia Verſu,
Et coleris caſtis Vndique Virginibus.
Non ego te mea Lux patiar totum Hendymiona
Stertere, nec Meſſes perdere compoſitas.
Ibis ad vmbroſas non me fingente Paludes,
Cum Minos de te fecerit Arbitria.
At viues, nec te ſcabri Rubigine Dentis
Tempus edax noſtro ſurripiet Calamo.
Et dum formoſa gaudebit Daphnide Phœbus,
Et Phœbo gratis Caliope Numeris,
Dura per Oenotrios ſplendeſces cognita ſaltus,
Et gelidos vltrà Peonas Hermione.
Cur igitur paribus Flammis, æqua vè Fauilla
Non palles? imo nec gemis à Latere?
Cypria quæ Myrto Crynes, & Tempora cingis,
Sublimi noſtram ſtringe manu Venerem.
Atque face æternos mecùm tibi ſeruiat Annos,
Candenti tenerum vſta Iecur Facula.
Sic vulgò poſitis tibi luceat Ignibus Aether,
Sic Amathus, ſic tu Diua colas Amathum.

Dolet quòd ab Amica cogatur diſcedere,

A' quàm terribili ducunt me Sydera Fato,
Quàm me crudeli vellere Parca mouet.
Vix ſubij Mintij Ripas, Saltus que beatos,
Vix, me, vix Lateri compoſui Dominæ;
En iterum Illirias cogor tentare remotas,
Et petere Adriaci Littora ſurda maris.
Ehù cur potius longinquos exul ad Indos,

Iratæ Vulnus non refero Patriæ?
Illic non me ſævus Amor, Cypris vè marina,
Vſſiſſent blandis Hermiones Oculis.
Sed Fors, èois Mavors me volueret Armis,
Compoſita Crines opperiens Galea:
Vnde Comas poſſem, Frondoſa cingere quercu,
Et legere obſeſſis, Gramen ab Aggeribus.
Nunc morior Veneris Facibus Exuſtus amaris,
Paulatim que atros in Cineres abeo.
At ſine te mea Lux Tonſas, & Lintea pandet,
Noſtra procelloſis Fraxinus Aequoribus?
Et ſuſpirantem media me Tethis in Vnda,
Sentiet irato dura loqui Pelago?
Diſpereat Nereu qui per tua Clauſtra negatum
Apperuit cæſo primus Iter Nemore:
Qui noſtra infectos deduxit ad Arua Britanos,
Atque Arabas fines vexit ad Heſperios.
Non ego nunc ægræ, quererer Faſtidia mentis,
Nec ſurdos fuſis eſſe Deos Precibus.
Ergo tot potero Soles, tot denique Noctes,
In tam ſemotis viuere Littoribus?
Et ſine te, Cælum Ventos audire mouentes,
Atque Imbres Cælo decidere, & Tonitrus?
Nec mihi formoſos Vultus ſpectare licebit?
Nec rapere è Labris Oſcula purpureis?
Ibo igitur? nec me roſeis deiectus Ocellis
Humor, nec vincent turgidulæ Lacrymæ?
Hos auro nexos Crines, hæc leuia colla;

Hæc plangi inſana Membra manu patiar?
Aſpra Venus quàm me cæco claudis Labyrintho?
Per te Curarum merſor in Oceano.
Felicem Vatem, dulces dum iungit Amores
Cui venit Tenebris Mors adoperta Caput.
Ille modò fingens, pomoſos ibat in Ortos,
Hærebat Lateri pulchra Viri Nemeſis:
Et modò cum Domina turgentes ibat in Agros,
Spicarum flauæ Serta legens Cereri.
Felicem certè Vatem, cui Cypria ceſſit
Securo chara coniuge poſſe frui.
Mi mea preſentes prædantur Vela Corymbi,
Et lentæ Sartes, & Via longa Maris.

AD BEMBVM.

Olim qui Fluctus Aganipedos hyppocrenes,
Qui Muſas olim Bembe habui faciles,
Ad te nunc Aſcra procul, & procul Aone, munus
Hoc non exultis cogito carminibus;
Hoc ideo vt noſtrum poſſes ſanare Dolorem,
Et lenire manu Vulnera Pieria.
Nam tale in miſero deſæuit Corpore Virus,
Quale vnquàm quiuis ſenſit adhuc Hominum.
Sæua Venus Flammis alios exurit iniquis,
In me eſt vna omnes eiaculata Faces.
Et tantum ardemus quantum nutante Couino
Ambuſtus, Cælo cum cecidit Phaëthon:
Et mi ſpinoſæ rodunt Præcordia Curæ,
Languidaque obducit Ruga Genas teneras.

Huic tu quàmprimum triſti ſuccurre Ruinæ,
Et medicam gratis affer Opem numeris.
Et te non æqua vidi pallere Dione;
Et memini Flammis intabuiſſe nouis:
Et Dominam immitem Placidis oraſſe Tabellis,
Multa quæ cedenti Verba dediſſe Noto.
Cum te rideret gelido Latonia Curru
Serta pruinoſas porricere ante Fores;
Et tacitum verno Limen præcingere Flore,
Præbentem duris Oſcula Marmoribus.
O' quoties dixi crudelis Amadryas, ipſum
Et Ferrum, atque ipſos Corde geris Chalibas:
Nec falſo dixi, cum noctem ſæpius omnem
Duxiſti ſurdis frigidus in Foribus:
Atque ita ſim fœlix, vt denſos Grandine Nymbos
Non puduit tunica ſuſtinuiſſe breui.
Talis in Arcadys mœrebat rupibus amens
Mellanion quærens partheniam Iăſida.
Ibat, & in Valles, & Syluas ibat in altas
Suſpirans duram ſaucius Iăſida.
Lux mea clamabat Forma formoſior omni,
A' tandem noſtri ſiſte Rotam Gemitus.
Ecce Animum ex ægro triſtem vix Corpore duco,
Et torpet multis Spiritus é Lacrymis.
Hæc ille, aſtutum nonacrina Atalantha,
Cum Iuuenis charum ſe dedit in Gremium.
Ergò Duritiem potuit lenire Puellæ
Sollicito blandus Carmine Mellanion.

Quo tu terribilem dulci Teſtudine fingens,
Placcaſii curto Sole tuam Venerem,
Hos mihi tu Verſus, atque iſtec Carmina mitte,
Apta procelloſo ferre Mari Alcyonas.
Iſtis de dura fiat mihi blanda Puella,
Mox Venus, & iaciat Tela, Puer Veneris.

AD HERMIONEM.

Ite malæ triſti prorſus de Pectore Curæ!
Deque meo Cypris tolle Faces Animo.
Tempus iyt, quo me felici Diua Catena,
Et charam pariter nexueras Dominam;
Nec tam ramoſa Vitis aſtringitur Vlmo,
Non Hedera Illicibus arctius appoſitis.
At non æqua meos aliò modo tranſtulit Ignes,
Magneſſa multo nequior Hippolyte.
I nunc ingenuæ Formæ, ingenuo que Pudori,
Et Vultu, & miti fide Supercilio.
Felices queis ceſſerunt ſua Sydera, fidas
Martigenam Euadnem, Penelopem icariam,
Vix ego terdenos abſens Phàëtonthas, amato
Amplexu, & charis exulo Liminibus.
Illa matutina componit Furta Lucerna
Impia, & externo dura cubat Lateri.
Diſpereat quisquis fallacis credit Amicæ
Dulcia præſentem Verba habitura Fidem.
Gaude Sorte tua Riualis, Sole futuro,
Mecùm vnà Officio mox doliture pari.
Quos ego non Aeſtus, aut quæ non Frigora demens

Hoc iſto pro te cruda tuli Capite?
Nec deerant medio ſelectæ ex Aequore Conchæ;
Non infecta manu Vellera Tenaria.
Et quicquid patrijs Tellus prodebat Agellis,
Vnius Hermiones Arbitrio fuerat,
Me tamen hoc agitas Curarum Vortice, me que
E nimia cogis ſæua mori Rabie.
At patiar, ſed te Sceleris penitebit auari.
Orabis que etiam, atque etiam, vt redeam,
Mollia ſed gelidas ſpargentur Verba per Auras,
Carpathij que ſimul Aequoris inſtar erunt.
Ite procul Veneres, & cæca cupidinis Arma:
Iam liceat Famæ conſuluiſſe bonæ.
Tu que Vale, Vento leuior, Fluctu que marino,
Tempeſtiuus enim Rus ego mane peto.
Illic formoſis meditabor Carmen in Vmbris,
Armatas que Acies, & fera Bella canam.
Magnus vt Arpinas Numidas, Regemque ſuperbum,
Ante Triumphales egerit ire rotas;
Romula uti referant infrenes Iura Sicambros,
Atque vnà Meroe cedat, & Aethiopes.
Horruit infecto Mare Fluctu Sanguine, quandò
Actia romano palluit Vnda Duce:
Et Sceptrum Mulier trepidis male nixa Corymbis,
Ceruleo fugiens liquit in Oceano.
Aut referam magnum Alcidem, magnos que Labores;
Et mala inhumanis cognita Tela Feris,
Omnia compoſito deducam Carmine, dum tu

Non fias noſtra lucida Materia.

AD LESBIAM.

Ec quis me tota viuit felicior Vrbe?
Et quis me tota lætior Heſperia?
Illa meos omnes à me dilecta per Annos,
Illa meos vulgò cognita per numeros,
En Formoſa meis vt ſtertat nuda Lacertis,
Hæreat vt noſtro Hermione Lateri,
Aſpice compoſitos per leuia Tempora Crines,
Labra que Sydoniis æmula muricibus.
Quis non miretur Vultus, Oculos que loquaces,
Excultos que Sinus, marmoreum que Latus?
Me mihi ſurripuit natiuus Lesbia Candor:
Et Suræ teretes, & ſine Labe Femur.
Talis Ephyræo iacuit tunc Lais in oſtro;
Cum ſtetit ad ſurdas Grecia tota Fores:
Et ſic Priamiden vſſit Ledæa Lacena:
Sic Pyrne cætus luſit Echionios:
Talis eras Amathi ſacri Dea, flammeus olim
Vt furtum Cælo Cynthius apperuit:
Errabat medijs Aſtris argentea Luna,
Et mi nocturnis Dux erat in tenebris:
Cum me Cuſtodem docuiſti fallere durum,
Et muto clauſas Vecte aperire Fores:
Cum me per noctis Tractus Vmbramque ſilentem,
Duxiſti optatos in Dominæ Thalamos.
Diſpereant timidi, & quiſquis Veſtigia furtim
Neſcit ſuſpenſo ſuſtinuiſſe Gradu.

Illa quieſcebat getullo Murice fulta:
  De que Oculis feriens Tela ciebat Amor.
Vmbroſum Lumen præbebat parca Lucerna,
  Frondoſo cerni quale ſolet, Nemore.
Argutos, vt me vidit demiſit Ocellos,
  Et tinxit ſubitus candidula Ora Pudor:
Sub ridens que, leui promiſit muta Labello
  Neſcio quid dulci Dulcius Ambroſia.
Denique in Amplexus inieci Brachia charos:
  Et nudus nudæ concubui Veneri.
Non Ego tunc mallem plauſu Capitolia Vulgi
  Scandere deuectis ex Oriente Rotis.
Oſcula quis numeret luctantibus æmula Linguis?
  Dulcia que immixtis Iurgia Blandicijs?
Quis Luſus, & Delicias, Riſus que, Iocos que,
  Et quæ mille modis eſt reuocata Venus?
Hic Ignes, hic Ardoris Primordia noſtri,
  Frigora que, & Soles, vt meminiſſe iuuat.
O' ego, ſi crebrò has poſſim deducere Noctes,
  Et Sic æternis viuere Syderibus.
Tum valeat pulchræ Regnum vetus Hippodamiæ:
  Diuitiæ que Aſiæ, mollis & Ionia.
Optarim in medijs tecùm ſic viuere Syluis;
  Paſtorum que humiles incoluiſſe Caſas:
Et de penſilibus tecùm decerpere Ramis
  Poma, & humi Violas ſeligere Hermione.
Leſbia, viue precor cumææ Secula Vatis,
  Aequalem quæ me docta facis Superis.

AD HERMIONEM.

Impia quàm celeres euoluunt Eſſeda Mani:
  Impia quàm volucri vertitur Axe Rota;
Vt ferus inſurgit Loris Auriga remiſſis,
  Verbera que inſtanti dura crepat Scutica.
Improbe quid gaudes noſtras abducere Flammas?
  Quid gaudes noſtram ferre procul Venerem?
Parce leues triſti Currus vrgere Flagello:
  Simplicibus currat Reda lenis Gradibus.
At fugis, externo mea Lux auulſa Catena,
  Et miſerum turpes deſeris in Lacrymas.
Vita abis, & tecùm Luſus, Riſusque, Iocique,
  Tecùm vnà & Charites, tecùm abeunt Veneres.
In me Curarum Fluctus exercet amaros
  Aſpera que immitis Prælia verſat Amor.
Mille in me Tedas, mille in me ſæua Dione
  Iugiter hoſtiles præcipitat Faculas.
Ne ſarniti rogo ſæui Dea, parcius vre,
  Fornacem hanc vſto collige de Iecore.
Succurrant Martis Luſus, & Adonius arbor:
  Succurrant teneris Oſcula rapta Labris.
Mi liceat Dominæ Faſtus perferre ſuperbos,
  Errantem que ſequi per Nemora, & Scopulos.
Sic ego nec metuam furtiua Fœdera Lelli,
  Nec matutina Limen olere Roſa.
At loquor, & noſtros forſan ſubducit Amores
  Alter, & inſanis hæſitat in Laqueis.
Spectat odoratos Collo pendere Capillos,

Purpureos que Sinus, purpureas que Genas.
Miratur paſſos per membra tenerima Seres,
Spirantem que omnem comminus Arabiam.
Verum ita ſim felix, tenues vt noſtra per Auras
Aedonÿs cupio Verba thrai Zephyris:
Et cupio pro te multos pallere Colores;
Dum liceat tenero poſſe frui Latere.
Tu modo Veronæ ne tam dilexeris Agros,
Vt viles habeas Mintium, & Eridanum.
Non equidem ſine te, dudum mea viuere poſſum:
Et poſſum Facie non ego abeſſe tua,
Illa mihi eſt inſtar diuini Numinis, illa
Eſt mihi romano charior Imperio.
Quarè te nobis, & Lux promiſſa reportet,
Et Venus, & mundi Cura, Puer Veneris.

AD ATTALVM.

Anacreontei Luſus, & Tèìa vena,
Quem iuuat, & breuibus Terpſicore Numeris,
Ec quid tam ſæuo dudum conſumeris æſtu
Cincte paludoſis Attale Porticibus?
Vſtulat Icarium ſydus iam Thraces, & Indos,
Et feruent ſacro ſub Citherone Niues;
Tu tamen Ocnææ muro circundatus Vrbis,
Exuri Cælo non metuis rapido:
Quandò ſurreptos ſuſpiret Mantua Fontes,
Et gemat infeſtam Mintius Errigonem.
Tolle Domo Studÿ Dotes, & Appolline dextro,
Ad nos cælatis Eſſeda verte Iugis.

Hic gelidi Saltus, Auræ, Ventique ſequaces:
Et Matutino Sydere uernat Ager.
Non hic exuſtis candeſcit Glarea Glebis;
Non alto Campus Hyperione Piger.
Per molles Saltus, & per molliſſima Prata,
Et Cythiſum, & Violas improba carpit Ouis.
Nocturnæ creſcunt Dumis felicibus Herbæ,
Veſpere quas ſero cæderat Agricola.
Ergò per Syluas, & opaccas Arbore Valles,
Hic poteris verſus ſcribere Pierios.
Et ſubter Ramis, & ſubter Frondibus atris,
Inuentæ Fucum quærere Materiæ,
Qualis ad odryſij Ripas cum fingeret Hebri
Orpheus auratæ Fila mouens Citharæ.
Adde quod intortis Ripis, & diuite Vena,
Cornutus propter labitur Eridanus.
Per quem mille volant Alni cedentibus Vndis,
Mille & Felici Vela tument Zephyro.
Hinc, illinc liquido ſurgunt de Flumine, pulchræ
Nigræ Oculos, Fuluæ Tempora Naiades:
Et ludunt circà Regem cui ſpumea Barba;
Cui cani Crines, cana Supercilia.
Non deſunt gelidi Fontes, non garula Progne,
Quæ ſuper vmbroſis ingemat Arboribus.
Illa gemet, tu florentes dicture Triumphos,
Seù modò fallacem ſeù placidam Venerem,
Doctum ſepoſita deduces Carmen in vmbra:
Et tibi erunt Lateri & Tabulæ, & Calamus.

Sic Mæcenatis tyrrheni Flaccus in Ortis,
Quæſiuit ſacro ſacram Hederam Capiti.,
Sic Valles, ſic & Campos, ſic Arma canebat
Cuius Delitiæ pulcher Alexis erat.
Tolle domo Studij Dotes, & præpete Curſu
Ad nos cælatis Eſſeda verte Iugis.

AD HERMIONEM.

A At nonquàm hæc Rabies, nonquàm hæc tam dira (Cupido,
Irato mea Lux exciderint Animo?
Parce, oro, nec me Hermione crudelius vre,
Ne me, oro, vlterius Hermione lacera.
En qualis Macies Artus obduxerit ægros,
Et Latere ex humili vix Animam refero.
Vbertim ex Oculis Fontes verſantur amari,
De que meis Lacrymis turbida ſæuit Hyems.
Cur mihi formoſos iandudum abſcondis Ocellos?
Cur faciem, & Violis æmula Labra negas?
A' mihi ne Frontem vela, qua non piger in me
Arma Amor, & Calamos inijcit, & Faculas.
Vror ego, extremis paſcens Incendia Venis:
Vror, & à ſæuis figor Arundinibus.
Tu tamen irata multò crudelior Vrſa,
Vſque procelloſo ſurdior es Pelago.
Dij facite illa meos Crudelis ſentiat Ictus,
Et pariter Flammas, & pariter Gemitus,
Qualis Parthenijs cum ſuſpiraret in antris
Saucius Hylei vulnere Mellanion.
Talis deſertis cogor deflere ſub Vmbris

Saucius iratæ ex Oculis Dominæ.
Occultosque Feris narrare impune Dolores,
Et iactare leues Carmina per Zephyros.
Quid tamen emerui? quo me Crudelis [illegible] figis?
An quia paruæ mihi Signa Caloris habet?
Dicite Vos Rupes, frondosæque dicite Syluæ,
Si quis inest veſtris Spiritus Arboribus,
O quoties vobis ceſtis [illegible] ignes,
Furtaque, vix ipſi cognita Sideribus.
Et Vos formosæ dedi [illegible] Nomen Auricæ
Monſtrati ceſtis vndique Corticibus.
Quod legat et ſua inter Dryas, quod nuda Napææ:
Et quicquid Syluas incolit & Nemora.
At tandem meæ Lux Faſtus depone ſuperbos,
Inque meo læta Hermione Crucio.
Infelix Rabiem iratus [illegible] Hoſtis:
Nos Venus, & iunctis iungat Amor manibus.

AD BEMBVM.

Vmbrarum Nemorum, & muſarum Fontis Amator
Et quid Parthenijs colligis ſpiraculis?
Tu forſan & Galeas, & martia Claſsica fingis,
Immitti cingens Theſſiadis Calybe:
Vulneraque, & Cædes, Aſtreo tergis in armo,
Et cogis verſos ad Iuga ſiſtere Equos.
Sic Crini æternas Laurus, plectroque loquaci,
Et quæris Verſus viuere perpetuos.
Felicem Vatem, cui longos Delius Annos
Ceſſit, & Aonia Neruia pulſa manu.

Ipſe

Ipſe canens, Martem nudo Mucrone cruentas,
Et gaudes largos Sanguinis ire Lacus.
At mihi quæ blandæ dictatis Verba Sorores?
Et quid in his fingo Vallibus Vraniæ?
Has ego per Ripas, atque hæc per ſordida Rura,
Non dulci meditor Carmina Materia.
Non mihi ſuccurrunt placida de Gorgone Lymphæ;
Non Chorus argutis ductus Amadryadis.
At miſero ex Oculis Lacrymarum defluit Imber:
Et cingit triſtes anxia Cura Genas.
Acria que vbertim grauido de Pectore manant,
Nec cedunt ſibi Suſpiria, nec Gemitus:
Nulla meos Luctus Rupes non aſſonat, Echo
Ingeminat ſparſos per caua Saxa modos.
Lux mea mi Lida multò precioſior vnda,
Hos potero ſine te ducere Luciferos?
Has potero ſine te mea Lux producere Noctes?
His Somnum laſſis carpere Luminibus?
Me miſerum, in me omnes Faculas, ignita que Tela,
Et Lucem, & Noctem exercet amara Venus.
Ipſa Bianoreos graderis Formoſa per agros,
Veſanæ ſpargens Semina Luxuriæ;
Quam iuuat externo vultus componere Fuco,
Et pingui Crines inficere Arabia.
Nec pudet oſtrina vulgò procedere Palla,
Nec multa tenues Gemma onerare Sinus,
Quis ſit, an &, medio dum lucent Sydera Mundo,
Hæreat impoſitis Ianua Cardinibus?

Forſitan & tota ducis Conuiuia Nocte,
Et nouus ad noſtros ludit Amor Thalamos.
Non hac lucebat Lana veſana Calypſo;
Dulichias quandò protulit Aura Rates.
Et dum Troianos iret Menelaus in hoſtes,
Abductum fleuit Laŏdomia Virum.
Quos non effudit quæſtus, dum Sortibus hæret
Luciferi Cæyx, æolis Alcyone?
Has etenim pingui duplex Amathuntia Teda
Vſſit, & ignitis certus Amor Facibus.
Tu ſine me longa vadis ſtipata Corona;
Qualis Virgo nouos quæ ingreditur Thalamos.
Me Valles, Syluæ que tenent, & Teſqua Ferarum,
Voluentem miſeras ex Oculis Lacrymas;
Hermionem latè clamantem, & ſuſpirantem:
Scribentem in puris Hermionem Arboribus,
O' quoties mecùm Diui ploraſtis agreſtes,
Et Fauni, & Panes, & Satyri, & Dryades:
Et vos frondoſæ rugoſo Cortice tectæ
Fleuiſtis multò largius Helyades:
Et ceſſit noſtris violentior Imbribus actus
Per Nemora, & Valles, turbidus Eridanus.
Bembe Decus Latij, & romanæ Gloria Linguæ,
Conſule tu noſtris Sollicitudibus:
Sic tibi ſint faciles Muſæ, & Fortuna patrona:
Sic quod Ego, Hoc idem ſentiat Hermione.

AD VENERAM.

Felices, quos non acri Sarniti Fauilla,
  Quos non accenſis vris Arundinibus.
Felices iterum quos æquo Marte petiſti;
  Vſiſti vè pari Arſinoe Facula.
Illinc ſecuro deſcendunt Carmina Plectro,
  Cyrrebo ſi quem Muſa fouet Latice.
Iſtic compoſiti vulgò iunguntur Amores,
  Et Pax nocturnis naſcitur Inſidijs.
Me Dea iandudum Venas rimare per omnes;
  Ex alio friget noſtra Venus Iaculo.
Ignea pallidulos deſcendit Lampas in Artus,
  Et me crudeli fixit Amor Calamo.
Nec prodeſt quòd me cingat Ladonia daphnæ;
  Aut Amathi Myrtus cognita Littoribus.
Qualis Threicijs bacchatur Thyas in agris,
  Talis per Campos efferor heſperios;
Et maiora meis creſcunt Incendia Flammis:
  Et premor aſſiduis Sollicitudinibus.
Illa Gelu, & duros geſtat ſub Pectore Montes
  Impia, Ripheis cotibus aſperior.
A' ſaltem paribus Nodis, æqua vè Catena,
  Iunxiſſes mentes Vria virgineas.
Vna mihi Senſus prædata eſt aurea Luna,
  Luna inter ſaltus pulchrior Oenotrios.
Illa Animum mihi ſurripuit, formoſior æquè
  Omnibus Eöis, omnibus Heſperijs.
Pace tua liceat fari nunc Filia Lædæ,

Debuit hac vna Troia perire magis:
Per quam vel Taurus, vel ſuſpiraret in Auro,
Si coleret Terras Iuppiter omniuolus.
Pulchra nimis, ſed dura nimis, chariſſima Vita,
Aſperitas Formæ non facit Iſta tuæ.
O quoties alto deceſſit ab Aethere Luna
Endimioneo conſpicienda Sinu.
Et ſæpe armatum complexa eſt Cypria Martem:
Tabuit & Sais Archados in Gremio.
Nec phrygio Iuueni virgo Spartana negauit,
Cum menelaeo degeret Heſpitio.
Sponte ſuo Gallo dixit formoſa Lycoris
Huc ades, in que meos curre Poeta Sinus.
Oſcula Naſoni libauit docta Corina:
Aeterna hinc Fama eſt Huius, & Alterius.
Quòd tu ſi nobis æquè patieris amari,
De noſtris fies Cynthia Carminibus.

AD MATIVM.

Humentes Currus èoa tinxerat Vnda
Emenſus Cælum ter decies Phàëthon:
Et matutinos totidem Pallantias Axes
Roſida purpureo mouerat è Pelago:
Cum tua mi venit Verſu deſeſſa Minerua
Vndoſi tortum Littus ad Eridani,
Hac, Mati exoptas noſtris cognoſcere Muſis,
Hac, optas noſtris noſcere Carminibus;
Vt mihi pergratæ fuerint Dydimaonis Aedes:
Structa que nobilibus Atria Marmoribus:

Vt grati rauco labentes Murmure Riui,
Læta que frondoſis Vmbra ſub Arboribus.
Attende, & noſtra fari conabor Auena,
Quod faciat votis ſatque, ſuper que tuis.
Has mihi tam placuit formoſas viſere Ripas,
Quàm Mecænati Tyburis Arua ſui.
Non Equus inſano placuit magè Bellerophonti,
Quem tulit in tenues Phorcydos Ala Notos.
Et quem non caperet fœcondi hæc Gloria Ruris?
Hæc Rupes Siculis inuidioſa iugis?
Spectat purpureas Phœbi naſcentis Habenas
Conſpicua externo, facta Domus Lapide:
Cuius, animoſos nemeæi Syderis Ignes
Defendit Cælo Porticus impoſito.
Hic Tagus, hic Hermus Pactola hic ſplendet arena,
Et quicquid Venis naſcitur Aſsyriæ.
Decurſim Lana pendent Aulea britana,
Lydia quæ doctis texuit Articulis.
Ex horum Spondis pallentes euomit Vndas
Mintius argutis cinctus Arundinibus.
A leua ſpargens Mugitus Inachis ægros,
Miratur Fluctus Cornua per liquidos:
Et miſeris Lacrymas Oculis deſtillat amaras,
Imperium metuens triſtiis Ariſtoridæ.
Iuppiter enitens Aeſtus ſulcare marinos,
Impoſitum Tergo dulce ferebat Onus:
Simplex Europe Cornu complexa recuruum,
Quid iactas ſurdo non bona Verba Mari?

Alludens paſſos criſpat leuis Aura Capillos,
Mirantur ſummo Nereides Látice.
Hic Ferrum Sicula componit Faber in ætna,
Et limat docta Retia facta manu.
Amphitryoniades Terra deductus auara,
Heſperidum cæſo Mala Dracone refert.
Aeoliam ad Lyparam Palla ſpectabilis aurea
Et ſedet, & Ventis imperat Hippotades.
Hinc exquiſito ſtructi de Marmore Poſtes,
Apperiunt Aditus vmbriferi Nemoris.
Rugoſæ quercus, & nigris Frondibus Ilex,
Populus, & Clario Daphnis amata deo,
Aſpera Iuniperus que, & Coniferæ cypariſſi,
Quas mira tenues Arte ligant Hederæ,
Dulcia natiuo præbent Vmbracula Fonti:
Qui gelidus ſurgit Margine gramineo.
Formoſi veris Dotes monſtratis vbique,
Hic Narcisſe tuas, hic Hyăcinthe tuas.
Et Caſiæ, Violæ que, & olentes Tymbra per herbas,
Simplicibus fertis dulcia Mella Apibus.
Noctes, atque Dies, de Ramis Daulias altis
Ingemit amiſſi Delicias Ityli.
Sæpe mihi has Vmbras inter, Latonius heros
Doctarum turba cinctus Amadryadum,
Vocali dulces mouit Teſtudinem Chordas,
Diuino gratos Ore promens numeros.
Hæc mihi tam placuit Sedes cariſſime Matiʒ
Quàm placuit Phæbo Caſtalis, aut Helicon.

AD LYCORIDA.

Formoſi Lateris Cuſtos, formoſa Lycori,
Ad nos communis quandò redibit Hera?
Tu nunc Ocnæos fines, & dulcia calcas
Iugera, ve ſulla quæ Padus ambit aqua:
Quis Dominæ Crines, & leuia Tempora fingit?
Quis faciem? & vernis æmula Labra Roſis?
O' Fortunatam, chari cui ſtragula fulchri
Tangere laſciuis iam liceat Manibus:
Et tractare pari bacchata Monilia Gemma;
Atque Aurum, & liquidas Helyadum Lacrymas.
Quàm timeo, ne per longos Abſentia Soles
Ardores illi fecerit egelidos:
Aut nouus in teneris deſæuiat Oſſibus Ignis,
Ius Animi, atque ipſam ſurripiens Animam.
Quòd, ſi forte meas id Rumor portet ad Aures,
Actutum prima Voce miſer pereo.
Cur nequeo Demens, Vultus ſpectator amati,
Ante pruinoſas inuigilare Fores?
Non me Bruma rigens, Niuibus præcincta gelatis,
Cogeret impoſitis cedere de Gradibus:
Hic nusquàm Violas ſperet nocturnus Amator,
Aut matutinas ſpargere poſſe Roſas.
Sed tu Veronæ propera iam vadere Saltus;
Agreſtes que tene pulchra Lycori Caſas:
Atque face, vt mota Remo, Velo que Carina,
Nauiget in noſtros Hermionea Sinus.
Iuppiter aërias iam frigidus expuit Alpes,

Et Frondes querulis abſtulit Arboribus.
Exercent nullæ Choreas per prata Napææ,
Et Fauni, & Dryades Nais & omnis abit.
Nullas Paſtor Oues triſteis deducit ad herbas,
Torpet enim Vitio Frigoris omnis Ager.
Quàm benè compoſito mecùm requieſcere Lecto,
Et poterit rapta Commoditate frui:
Mox Imbres, mox & Cœli deſæuiat Aeſtus,
Ex alto que graues præcipitent Tonitrus.
Nos furtiua Venus Nodo ſic iungat inerti;
Ac Tronco Vitis iungitur arboreo.
Vade Lycori foras, Dominamque accende venire:
Sic tibi ſit præſens, & ſine Lite Venus.

AD Vitruium Roſcium Parmenſem.

Nondum Aſcræ memini Fontes armaſſe Veneno,
Nec Rabie ſacras Roſci acuiſſe Deas:
Andini Colles, & tu Sybaritis auena
Teſtis es, & teſtis vnda Bianorea:
Et vos felices Nymphæ, quæ mollibus vluis
Cornigero Crines cingitis Eridano.
Aemonias tu me primus inflare Cycutas,
Infectos tu me cogis hiare modos:
Atque illam Brumas Pacem ſeruare per omnes,
Quæ de Thebanis ignibus emmicuit.
Tantum ergò te Vitrui parmenſis amamus,
Myrtilli quantum Nomina Tantalides.
Aut quantum, Capaneum Saturnius heros,
Præcipitem torto Fulmine cum ferijt:

Et meritò, nam quis noſtras te perfide Muſas
Egit inhumana contemerare manu.
Et falſo noſtras Titulo fraudare Mineruas,
Prædari noſtras turpiter Illecebras?
Improbe iandudum tota cædende Megerá;
Improbe lethea deuoluènde Rota.
Sunt hæc, quæ pro te ſudanti Carmina Torno
Sæpius Ocnæo duximus in nemore?
Queis tanquàm tua mulcebas Dydimaonis Aures,
Tyrtheo grata, dulcia Callimaco.
Phæbe Pater, latè Tyrio ſpectabilis oſtro,
Sublimi Nates cæde Hominis Scutica
Optantis Crines aliena cingere Lauru,
Siue Hedera turpes implicuiſſe Comas:
Quot Numeros, quot materno deducta Lepore
Carmina, furtiuis ſurripuit manibus?
Brixia Chineæ tenui ſub Rupe repoſta;
Quam præter Cornu Mella fluit placido:
Quàm benè tu ſacræ ſenſiſti Crimina Dextræ
Tunc, cum floreret ſponte Cohors Iuuenum,
Et leui pariter certarent ludere Culmo
Antipater, Bembus, Pruſia, Prothogenes.
Hæc ille ad noſtras Productor concinit Aures?
Atque ſua iurat Pallade compoſita.
Diuæ Permeſſi ſacri, ſacri que Heliconis,
Quæ colitis Fontes, & Nemora umbrifera,
Prædantem Flores, ac veſtri munus Agelli,
Aſtutum crebris figite Miſilibus,

Aſt ego te mundi Labes, mundi te ego Peſtis,
Armato æternum proſequar Archilocho.
Interea fias nulli Miſerabilis, & te
Vellicet, & vexet aſpera Pauperies.

AD HERMIONEM.

Quid mihi cum Pharetra, quid cum Sarnitide telo?
Effuge cum Faculis nude Cupido tuis.
Sat fuimus Populi Luſus, & Fabula Vulgi,
Iam liceat Lacrymis impoſuiſſe modum.
Quos non pertulimus non æqua mente Furores?
Exarſi te vnam cum miſer Hermione?
At tu nunc iſtos, nunc hos fruſtraris Amores
Subdola, retheis mobilior Zephyris.
Me laſciuus habet formoſi Campus Agelli,
Qualem non melius Corycos excoluit,
Hic Veneres, iſtic mordaces exuo Curas,
Inſudans Apio, & Cythiſo, & Caſiæ:
Nam didici Foſſas creſcenti cingere Septo:
Et Sepem è Spinis ducere compoſitis.
Et biferas Ficus pingui veſtire Mariſca,
Impleat agreſtes Carduus vt Calathos:
Surgat vt in morem Lunæ, ſeſe inque reflectat,
Telluri obrepens ceruleus Cucumis.
Me iuuat impactos Raſtris concidere Grumos:
Et placida Sulcos attenuare manu.
Nec pudet, aut Marra Glebas verſare bicorni,
Aut Humero Pondus ſuſtinuiſſe graue:
Interdum Terræ hærentes diuellere Porros,

Et Rapa,& Cœpas,gelbeduum que Siſer:
Nunc placet Erucas Venerem nutrire cientes,
Et Bulbum,& Bulbo Naſtrucium ſimile.
Ipſa Olera irriguis vernant humentia Riuis.
Ridet Ager,rident virgineæ Violæ:
Candida que obſcenas Aſini monſtrantia partes
Lilia,purpureis mixta Papaueribus,
Hic & Amyclides,hic & Thelemonia proles,
Hic Narciſſe nites,hic Hyăcinthe nites.
Non deſunt Serpilla, Roſæ miſcencia Florem:
Non Calthæ,& Chaltis nobiliora Thima.
Pampinus vmbroſo Vites obnubit Amictu,
Defendens Vuas Solibus à rapidis.
Pendent creſcentes de pronis vitibus Vuæ:
Luxuriat Ramis Vlmus opacca nouis.
Ipſe Comas cinctus Marathro,Ruta que virenti,
Vlpica ſuſpenſis ſæpe cauo manibus;
Aut carpens Tymbras,& odoriferum Dictamum,
Veris Opes breuibus congero Sirpiculis.
Interea liquidis deducta Canalibus Vnda
Obſtrepit,& blandis irrigat Aequor Aquis.
Inuitant Vmbræ tenues,& mollior Aura,
Felicis Somni carpere Delitias;
Dum Thereum Linguam que gemens Phylomela reuulſam
Mæſta ſub vmbroſis concinit Arboribus.
Vre modò quoſuis miſeros Immittis Amantes,
Me iuuat agreſti conſenuiſſe Caſa.

AD CONTERNIVM.

Aſcreos Saltus, & dites Pallade Ramos,
Dum tu felici ſollicitas Studio:
Et te docta tenet doctis Ferraria Muſis,
Quam circùm Fluctus labitur Eridani:
Mollia nos gratæ calcamus Iugera Terræ,
Quam cingit ſacris Sirmio littoribus.
Hic quercus, illic Oleas miramur inertes,
Bacchaque de prono quæ legitur Nemore,
Floribus æternis Campos vbi pulcher Adonis
Pingit, & æterno Flore colorat Humum.
Luxuriat terra in molli Niaſias arbor,
Et ver formoſis parturit è Folijs:
Penſilibus Ramis dependent aurea Mala,
Et Latere ex omni frons Zephyritis olet.
Hic mecùm in tenera noſter Cornelius Vmbra
Ornamus Crines pallidulis Hederis:
Quæ circùm multis ſerpentes Brachia nodis
Heliadum, mira conueniunt Facie:
Et grauidos pingunt viridi Pallore Corymbos,
Dum gelida inſtabiles ventilat Aura Comas.
Ergo per Myrti Syluam, mœſtas que Cupreſſus,
Argutæ ſparſim mille queruntur Aues;
Et miſera, illacrymans miſerabile, Daulias ales
Ingemit abſumpti Delitias Ityli:
Nec procul hinc hiſdem pinguis Vindemia Campis
Ex altis latè carpitur Arboribus.
Matura è pronis dependens Vua Racemis

Demitur, & ſtantes concidit in Calathos.
Corbibus appoſitis hic feſſas degrauat Vlmos,
Hic Vlmis Vites ſurripit appoſitas;
Aut Pedibus nudis turgentem calcat Iacchum,
Præcinctus fronde Tempora Pampinea.
Spumant ſordenti Baccho flauentia Labra:
Et ſuperant plenos turbida Muſta Lacus.
Interea viles tollunt ad Sydera Cantus
Virginibus iunctis ruſtica Simplicitas.
Cantabant Semelen Flammis cæleſtibus vſtam,
Et creuiſſe Patris mox Puerum in Gremio:
Narrabant victos Annis puerilibus Indos;
Et Bromio Laphytas incaluiſſe feros.
At nos cedentes inſictas Rore per Herbas,
Cœpimus ad portus vadere Mæonies.
Paruus erat molli Linter religatus in Acta,
Quem circùm alludit læta Maris Facies.
Hic igitur pariter troncam conſcedimus Alnum,
Nec puduit Tonſas ſollicitare leues.
Præbebat Curſus facilis Benacus apertos;
Et Natus glaucis cinctus Arundinibus.
Et tenues Auræ criſpabant Aequoris Vndas:
Nabant in Fluctu Naiàdes liquido.
Iam que procul Terris, Cœlum ſpectamus, & Vndas,
Cum ſubito magna intonuit Rabie.
Ecce repentina tegitur Vertigine Phæbus,
Et Nox atra cauis præcipitat Tenebris.
Extollunt Fluctus ſinuato Vortice Venti,

Et cadit abruptis frigidus Imber Aquis.
Nos Cælo tecti Nymbis operimur iniquis:
Perque Sinus ſubitæ labitur Amnis Aquæ.
Dum que graues Pluuia, Remis impellimus Aequor,
Cogitur iratum ſcindere Cymba Mare.
Tandem per Tenebras ducti Caliginis atræ,
Cœpimus ad portus vadere Mæonios,
Hæc nos, ocnææ viſuri Littora Mantus,
Cum primum terris luxerit orta Dies.

AD MVTIVM PATRVVM.

Quod legis Ocnæa venit tibi Carmen ab vrbe,
Quam cingit Fluctu Mintius æquoreo.
Hic me Tyrrehnæ ſpectantem virginis Orſa,
Iacta paludoſis Mœnia Littoribus,
Dulcis Amor tenuit Phœbi, quem grata Sororum
Turba, ſub Andinis detinet arboribus.
Hic mi Syrginnæ Nodos, tenues que Cycutas,
Hic Digitos querulis implicuit Fidibus.
Hinc illos hauſi pura de Gorgone Fluctus,
Quos hoc oſtendet Carmine Terpſicore.
Sed te mirari video cariſſime Muti,
Muti, vnà nobis & Pater, & Patrue;
Cum per tot Soles, cum per tot Frigora, nunquàm
Venerit ad Patrios noſtra Thalia lares.
Aequa tua eſt Probitas, & te iuſtiſſima Cauſa
Suſcitat in noſtrum dicere multa Caput.
Sed perijt Troiæ Murus, captique Penates
Imperij Latio conſtituere Iubar,

Inde Palatinas poſſedit Iuppiter arces,
  Atque vbi nunc Roma eſt, Collis, & Herba fuit.
Aemula Tarpeiæ rupi ditiſſima latè
  Carthago, hoſtiles corruit in Cineres,
Alta coronati voluentia Sydera Cœli
  Conſtituunt certa Fata futura Die.
Et quicquid largo Terrarum clauditur Orbe.
  Et quicquid vaſti colligit Vnda maris:
Hoc Rerum Series, & ineuitabilis Ordo
  Calcat, & æterna ſub Ditione tenet.
Cuncta Pater Mundi primis indixit ab Annis;
  Cum Terræ, & ſegni conſuleret Pelago.
Cum patuit fuſis ſtellatus Crinibus Aether,
  Et mouit gelidas humida Luna Rotas.
Nondum natus eras Romæ, & te viderat ire
  Ante Triumphales capte Iugurta rotas.
Non Cuiquam fas eſt Naturam, & Fœdera Cœli,
  A' iam concepto flectere Propoſito,
Ergò ſi teneræ laſciuo Flore Iuuentæ
  Commiſi, quod te læſerit, & pudeat,
Parce, oro, & Votis Aurem ne ſubtrahe noſtris:
  Supplicibus præſens annue Carminibus.
O' quoties Precibus fuſis, & Ture cremato,
  Depoſuit Fulmen Iuupiter occiduum.
Et memini me vix Aras tenuiſſe, repentè
  Audyt, & læuum molliter intonuit.
Per te ego Pieridas teſtor, per Apollinis Ora,
  Criminibus Vates optime parce meis.

Da patrios Saltus,& dulcia Rura videre;
Et Patria,& patrijs poſſe frui Laribus.
Tu mihi Mecænas,tu charo charior Auro,
Et Phrygia,et cunctis Diuitijs Phrygiæ;
Per te Lerneos poſſum contemnere morſus,
Et Ditem ſtygijs trudere de Specubus.
Da faciles Aditus,& noſtræ conſule Vitæ;
Quæ miſerè triſti marcet in Exilio.
Quòd,mihi ſi dulces Vultus,& Verba negaris,
Me lætum poſthàc nulla videbit Hyems.
Me gelidæ Pindi Valles,me Caſſia rupes,
Fondentem miſeros audierint Gemitus:
Qualis in Ogigijs queritur mæſtiſſima ſyluis
Daulias ismarij Fata gemens Ityli.
Sentiet Euphrates,& cœci Littora Nili,
Nec non iratis Oricos Aequoribus:
Sed neque riphæas Glacies,non Elidis Vrbem,
Nec viſam extremos forte Boryſthenidas.
Nec tu permittes,non te Zanchlea Charibdis,
Armeniæ non te progenuere Feræ.
Mitis eras,memini,fies quoque mitior olim,
En ego do victas in tua Iura manus.
Chare Pater,Requies Rerum,& Spes vna mearum,
Iratum nobis pone Supercilium.
Sic te docta legant turritæ Rura Cremonæ,
Atque Indi dites,& Domus Arabiæ

AD DIVVM HERCVLEM GONSAGAM.

Clare Hedera, & Phœbi Numinis, et Gorgonis haue
Princeps Romanas inter Amadryadas, (Siue,
Clare Atauis, clare & Proauis, clariſſime Fama
Gonſaga, Aonijs cognite virginibus,
Tyrrhenæ dum te Nympha tenet aurea Cura,
Quam cingit Fluctu Mincius egelido,
Seu tu diuinos Zenonas, ſacros vè Platones,
Seù Muſas dulci ſollicitas Studio:
Nos Sermædanæ valles, Saltus que Paluſtres,
Inuitant de te ſumere Materiam:
Inuitant Vmbræ tenues, molles que Receſſus,
Et tortis gradiens Cornibus Eridanus.
Et cogunt Latebræ Syluarum ſcribere de te,
Quod legat Imbraſus, Carres, & Arabia,
Et meritò, nanque es noſtri tu Gloria Secli,
De quo non parua naſcitur Hiſtoria.
Oenotriæ Voces, atque Ocni nobile Vulgus,
Laudibus innnumeris te ſuper Aſtra ferunt.
Andinæ rupis Frondes, & Lydia ripa
Teſtatur campis circta Bianoreis.
Hinc Morum Series, & Recti lucidus Ordo,
Hinc Aequum, & Pietas, & Probitas, & Amor,
Ceù nitidi Fontis muſcoſo Margine, manant;
Ceù Flos, qui Pratis venit ab irriguis.
Flammea conuexi debet tibi Regia Cœli:
Et Lucis Pater, & Cœlicolum Chorea.

Numinibus ſacris ſacros indicis Honores,
Et quæ vix fuerat cognita Simplicitas.
Per te diuinis oritur Reuerentia Rebus,
Debita que eſt Adytis reddita Nobilitas,
Inde bono Ritu caſtas operatur ad Aras:
Et feriunt altos Thura, Preces que Deos.
Per te Templa nitent Morſu deſæta Senectæ:
Lucet & ad poſitos plurima Lana Focos.
Certa Fides olim tecùm ſua Fœdera iunxit,
Et virgo Aſtrei Filia terrigenæ.
Vt benè Paſtoris Faſces, ſanctumque Senatum
Tu regis, & tanto conſulis Imperio.
Iam ſileant immenſa Numæ Miracula, quicquid
Is fuit, agreſti debuit Aegeriæ:
At tu Natura que tua, Ingenio que ſereno,
Maturo que facis Omnia Conſilio;
Quo Druſos, & Marcellos, Brutos que ſuperbos
Aequas, & Coſſos vincis, & Aemilios.
Cur ego Parthenios colles, Aſcrea que teſqua,
Cur Piplæ Dumos non foueo, & Nemora?
Cur mihi Pegaſea non pallent Ora meduſa?
Cur mihi Cyrrhææ non fluit Humor aquæ?
A' quali canerem te Carmine, qualia de te
Efferrem ad gelidos vſque Boryſthenidas.
Phæbe, pruinoſis Pataræ celebrate Colonis,
En agedùm noſtris annue Carminibus:
Dicenda eſt noua Materies, noua Gloria luxit;
Flaua iterum pendens Sentibus Vua rubet:

Atque iterum exeſis Saxorum Cotibus herba
Naſcitur:in Vires ſurgite Pierides.
Sed mihi tu Phœbus Gonſaga,& Caſtalis Vnda,
Tu mihi Melpomene, Tu mihi Terpſicore:
Si placidi Vultus Nutus,ſi Fronte ſerena,
Aſſenſum Verſu præbueris timido.
Ecce tibi qualiſcunque eſt ſe dedat,& offert,
Et Studium,& Tabulas,Ingenium,& Calamum.

AD PENDALEAM.

Quàmuis ſpinoſas referam ſub Pectore Curas,
Fortunæ & merſer Fluctibus aſſiduis,
Vnde & muſcoſos Fontes,& Teſpia plectra,
Me Dolor,& Cœtus linquere Virgineos
Cogat:nec ſolito deſcendunt Carmina Torno
(Tanto heù Curarum Mens labat in Pelago)
Verum Oculis largus Lacrymarum deffluit Imber,
Et marcet Vena debilis Ingenij.
Nam Domina infernas iandudum intrare Paludes
Tentat,& in Stigijs plangere littoribus:
Sic inter Lacrymas,inter Suſpiria,& altos
In Gemitus,ſic me deſeris Hermione?
Ecce paludoſa præcinctus Arondine plorat
Mintius,& breuibus exerit Ora Vadis.
Ipſæ & pallentes incomptis Crinibus Vluas
Ponunt,& Choreas Naiades,& Numeros.
Hermione heù reſonant Ripæ vndique,& vndique Can=
Ingeminant Dumi Hermione,& Salices. (ne:
A' potes immittis Clothò hos exoluere,Fuſos?

Vellera quæ hæc rapida diſſolüiſſe manu?
Heù Deſiderium,& miſeræ Spes vnica vitæ,
Heù miſero certum Præſidium,atque Decus.
Attamen hoc iſto volui te viſere Verſu
Nobilis,atque inuictiſſime Pendalea:
Ne quandò,pigras Lethes ſiccaſſe Lacunas
Dixeris,& penitus me immemorem eſſe tui.
Nam qualis Tydeus Animo conſedit Adraſti:
Vt que Menetiades vixit in Aeacide:
Talis Ego in te viuo,& tu mihi ſemper in ipſo
Corde iaces,mea que eſt,in te Anima, atque Animus.
Tu mihi Mecænas,& charo charior Auro,
Charior ambobus tu mihi Luminibus,
Verum his quid fingis Saturni Solibus,Vrbe
Cinctus, & inſani Fluctibus Eridani?
Nanque Hedera tibi flexipedi,Myrtoque virenti,
Ornarunt Crines Bacchus,& Arſinoe:
Et tibi Neſſonides dictarunt Carmen Amatæ
Iandudum,& fontes incolis Aonios.
Scribe agedùm iratæ Veneris Faſtidia ſæua,
Neù pigeat dura Fingere de Domina,
Interea veniet Zephyris ſpirantibus Aetas
Mollior,& lætis Gramen,& Vmbra Locis.
Mox Sermedanæ valles,Saltus que paluſtres,
Præbebunt ipſis Materiam Numeris.
Huc ego Forcelli ad Ripas,Sedes que remotas,
Tecùm vnà veniam candide Pendalea:
Et tecùm verno præcingens Tempora Flore,

Ruſtica compoſitis Serta legam manibus.
Tunc Salici Vites, & Viti iungere Palos,
Me iuuet, & Spinis inſeruiſſe Rubos.
Proderit & vulſa in quadrum Violaria Terra
Effodere, & Caltham, & Cytiſum, & Caſias:
Et tenuem breuibus Riuum deducere Sulcis,
Floreat vt Viola, floreat vtque Roſa:
Et colere obſcenas Aſini referentia Partes
Lilia, eadem & pictis condere Sirpiculis.
At tu Cecropijs donec ſecedat ab agris
Daulias, abſumpti Fata gemens Ityli;
Indulge Dominæ, & Faculis incumbe beatis;
Nec Studio deſint, & Tabulæ, & Calami.
Nos Vitam in Gemitum, & Lacrymas, Luctumque trahes
Dum melius Cœlo fulſerit Oărion. (ums,

AD DIVVM HERCVLEM GONSAGAM.

Ec quis erit Lacrymis tandem modus? hoc ne Do-
Vulnus, in Aeternas ibit olympiadas? (loris
Hi Luctus, hæc & vigili Suſpiria Cura,
Hi triſtes nunquàm Terga dabunt Gemitus?
Ergò Lethea quòd ludat Frater in vmbra,
Addictus iam Atauum Frater Imaginibus,
Quòd Requie dulci, atque optata Luce fruatur,
Hæc tibi tam magni Cauſa Doloris erunt?
Et tam præcipiti manabunt Lumina Fletu;
Vt fias Lydo Tantalis in Sypilo?
Et Fama eſt ægro duci te Turbine, qualis

Auia per Valles Baſſaris Iſmarias:
Aut vbi ſurreptum latè ſectatur Oſyrim,
Aut phrygium Pubes barbara mæret Atyn.
Exere damnatæ torpentia Nubila Mentis:
Et merſum ſæuis tolle Caput Lacrymis.
Spem Vitæ melioris ama. Stant Ordine certo
Fata Homini, nulla diſſoluenda Prece.
Nec datur immittes Poſlico fallere Parcas,
Obſeruat Lanas ſubdola Perſephone.
Non flenda eſt Rerum hæc Series Mortalium egæna.
Improba communes Vrna capit Cineres.
Et Spatium eſt Vitæ incertum: & perſæpe ſeneſcit
Aetatis tenero in Palmite Ver nitidum.
Sed cum Fratre abijt noſtri modo Gloria Secli:
Et quereris ſanè Dis cecidiſſe parem:
Et cecidit, ſed tu tantorum Nomina Regum,
Tot Faſces, & tot Marmora cæſa vide.
Natus Homo moriturus erat, mirare Labores
Solis: & vt triſti Delia ſudet Equo.
Naſcitur hic Flammis, hic tortæ naſcitur Vndæ,
Hos etiam rutilo Iuppiter Igne ferit:
Illum Riphææ læſerunt Frigora Brumæ:
Huic Ferri Rabies, huic Amor Exitio eſt.
Iſtis non perijt Frater tuus. ipſe bibiſti
Cedentem Demens frigidulo Ore Animam.
Demens, & Cœlum increpitans, & Sydera Cœli;
Et ſiquid Cœlo eſt fortius, & melius.
Terge Genas, viuet longos extentus in Annos,

Donec erunt Luces, donec erunt Tenebræ.
Euolat, & latè grandeſcit Fama per Orbem,
Fama, procelloſis ocyor Aequoribus:
Quæ Bella Oenotriæ iandudum exacta per Agros,
Miſſorum vſque ipſos afferat ad Scopulos.
Afferat & Bella, & Studiorum ingentia Cœpta:
Et pariter dulces in Populum Illecebras;
Interea Campis verſabitur Vmbra beatis:
Et Choreas cœtus ducet in Elyſios:
Hic, vbi miſta Roſis albentia Lilia canent:
Miſta que virgineis Lilia cum Violis:
Hic, vbi formoſi turgeſcit Gloria Ruris:
Et crepitant Auræ frondiferi Nemoris:
Humeſcunt gelidis rorantia Fontibus Antra,
Et molle ingeminat garrula Carmen Auis.
Ille inter Flores, & Valles inter opaccas,
Hic, inter Cœtus gaudeat emeritos.
At tu Vrbis Faſci inſuda, Dominumque nepotem
Inſtrue iam Rebus conſulere Imperij.
Et Populum cana ſub Religione tueri:
Et vireat ſancta cum Probitate Fides.
Sic te æquo, vt ſolita eſt, videat Ramnuſia Vultu,
Et tua fortunet Vota Iouis Facies.

AD VENEREM.

Ceſſerat ex vſtis Peſtis veſana Medullis,
Et Faculas aliò torſerat, & Calamos.
Ecce iterum ſæuæ conſumunt Viſcera Flammæ:
Ecce nouis iterum figor Arundinibus.

Parce, ſatis teneras vſſiſti Cypria Venas,
Parce Dea, ex ægro tolle Faces Animo.
Sed nimium blandos in me deflectis Ocellos,
Ecce tui Faculæ Centia ſunt Oculi;
Et mi Animam euellunt turgentes Pectore Mammæ:
Labra que Tenarijs æmula muricibus.
Ipſi me Crines, & formoſiſſima Colla,
Ipſi me teretes exanimant Digiti.
Te decet in molli quandò procedere Coa,
Mox etiam in molli proſiluiſſe Toga.
Et decet arguta Carmen deducere Voce:
Et teneras Fidibus implicuiſſe Manus.
O' quoties longa ducens Conuiuia Nocte,
Et Venerem iactis præcipitans Canibus,
Fixiſti lento Pectus Mucrone; nec in me
Spiritus, aut Animi Pars fuit, aut Animæ.
Sic inter tepidum que Gelu, gelidas que Fauillas,
Et viuo, & Demens vſtulor, & morior.
A' placidas Aures placidiſſima Centia porge:
Nec tenuis miſeras deferat Aura Preces.
Ecce ego, tu pigro ſtertis ſecura Cubili,
Inuigilo ſurdas Ianitor ante Fores,
Horret Humus, latè Niuibus diſtenta gelatis:
Et Faciem Cœli Somnus, & Aſtra, tenet.
Nuda pruinoſis incedens Luna ſub Vmbris,
Et videt, & Lacrymas ingemit vnà meas.
Ianua, ſic parcat tibi matutinus Amator,
Nec noceat ſæui ſæua Noti Rabies,

Non Imber, dura nec prægnans Grandine Nymbus,
Hæc Dominæ dulces perfer ad Auriculas.
Centia tandem Oculos Somno ſuſtolle grauatos,
Frigidus en gelidis hæret Amans Foribus.
A' miſer, ipſa leui componis Membra quiete:
Et fingis longas Somnia per Tenebras:
At mihi per Vultus Lacrymarum defluit Imber:
Et Vox pallidulis vix cadit è Labijs.
Iandudum Fletu nequicquàm abſumor inani.
Immittem poſti Lux mea deme Seram.
Centia pande Fores: iam pictis Lucifer Indis,
Iam que Dies primo ſurgit ab Oceano,
A' ſpernis tenues Verſus, ego Frigore pigro
Contractus, crudis immorior Foribus.
Tu Scopulos, & tu Calybes in Pectore geſtas
Impia, Riphæis cotibus aſperior.
Pelle Dea hos Aeſtus à me, & compeſce Furores,
Siue reluctantem plecte pari Scutica.
Sic tinguat ſacros fuſo tibi Sanguine Cultros
Alba Paleſtinis rapta Columba Iugis.

AD *Mutium Patruum Lacrymæ.*

Cogis me in Curas Muti deſcendere amaras,
Mox iterum in Luctus, mox iterum in Lacrymas.
Et præbens miſero mœſtiſſima Pabula Verſu,
In triſtes acuis Neſſonidas Numeros.
Impia Mors, quàm me crudeliter externaſti:
Quàm mens Curarum fluctuat Aequoribus.
Accipe ſed tamen, & Mœrrores collige noſtros.

Quod petis, id Clario verius eſt Tripode.
Heù rapte ad Choreas Dux inuictiſſime Cœli,
Mortales altos deſeris in Gemitus:
Et frueris cœtu Diuum, nos anxia Cura
Inficit, atque incredibile Cordolium.
Aſpice tot ſparſaſque Manus, ſparſoſque Capillos:
Totque in crudeles aſpera Verba Deos.
Cœlicolæ duri, quæ vos inſana Cupido
Egit, noſtram ægro euellere Corde Animam?
A' nimium immittes, nimium & in Furta parati,
Quem rapitis Splendor Vrbis, & Orbis erat.
Tota Sepulchrali candeſcit Mantua flamma:
Nocturnæ que tegunt eminus Aſtra Faces,
Et viſa eſt Cornu Phœbe languere retuſo,
Et Nox per Tenebras ingemuiſſe cauas:
Incincti dum muta Popæ longo Ordine ferrent
Membra coronata mortua Sandapila.
Talem poſt Bella, & Gladios, ad Limina Seæ
Geſſerunt chari Laomedonta Phryges.
Hæret humi poſitum Populo lugente Cadauer,
Gloria per Terras euolat, & Maria.
O' vbi purpureo ſuffuſus Candor in Ore?
O' vbi Peſtanis æmula Labra roſis?
Ipſa ſedet, neque adhùc gelido de Pectore ceſſit
Maieſtas, ſummo inuidioſa Ioui.
Hinc, illinc triſtes funduntur in Aëra queſtus:
Et reſonant miſeris Atria Carminibus.
Ecce Puer tuus, & chariſſima Turba Tuorum

Intempeſtiuas torpet ad Exequias.
De quo Oculis largus Lacrymarum profluit Imber,
Per que tui Vultus Herculis, inque Sinus.
Aegra inter Luctus, inter Suſpiria, Couiunx
Pallidulis ducit vix Animam è Labijs.
Et queritur, qualis parnaſſi Daulias Vmbris,
Acriter iſmarij Fata gemens Ityli.
Deplorant Matres, & lamentantur auarum
Funus, & inſanæ Vulnus Amariciæ.
Sæue Dolor, quem non crudeli comminus Oeſtro
Fixiſti? & duris Sollicitudinibus?
Palluit, & breuibus Crinem demerſit in Vndis
Mintius, argutis cinctus Arundinibus.
Ipſæ etiam mæſtæ Dominum fleuere Napææ:
Fleuere incomptis Crinibus Helyades.
Ipſæ etiam liquido ſingultauere ſub Amne,
Planxerunt que manu Pectora Naiädes.
Et modò quæ pendens formoſas fecerat illas,
Decidit è raptis tortilis Vlua Comis.
Fleuit Ager, flerunt Colles, & Ripa Maronis:
Mæruit Andinis Vmbra ſub arboribus.
A' potuit Lacheſis molles non ducere Fuſos?
Et tam præſentis rumpere Fila Coli?
Improba Mors, tu æqua vulgò teris Omnia Falce;
Improba, iam credam Numina & ipſa mori:
Ipſa Ducem in viridi rapis importuna Iuuenta;
Ipſa Patrem Patriæ ſurripis ante Diem.
Hæc nimium eſt omni damnoſa Licentia Mondo;

Et querimur de te Iuppiter Omniuole.
Heu breuis eſt Hominum Faſtus, & Pompa Triumphi.
Bella, Togam, Faſces, abſtulit vna Dies.
Hæc ſunt, quæ potui ſiccis inſcribere Chartis:
Iam tepidæ manant ex Oculis Lacrymæ.
Occupat inſanus mentem Dolor: ipſaque Fletu
Emarcet Vena debilis Ingenij.
Tu, cui ſunt Muſæ faciles, & dexter Apollo,
Flebilibus Numeris plange Lyram Patrue,
Ede modos, quales Stigios formauit ad Amnes
Eurydicen repetens Threicius iuuenis.
Et reſonet per te tanti Iactura Decoris
Ad Lapithas, atque ad Bebricas, & Morinos.

AD HERMIONEM DE DELIO OBRVTO IN PADO.

Aſſuerat liquidis Artus nudare ſub vndis
In Phaëthontheo Delius Eridano.
Et manibus niueis, & leui Poplite labens,
Præcipitis Fluctus rumpere Iter rapidum.
Veſtibus hunc poſitis ſuſpirauere Napææ;
Et tectæ Libris mollibus Helyades.
Formoſos Crines, & formoſiſſima Membra
Miratæ limis Naiädes Oculis,
Depereunt Iuuenem, largoque vruntur in Amne:
Nec potè conceptam extinguere Vnda Facem.
Illa Femur nudum, hæc Clunes, hæc leuia Crura
Ingemit, hæc teneris hæſitat in Pedibus.
Huic Vlua, & Flores, manibus cecidere ſoluti,

Et patrium Munus Cornuum inane perit.
Et gelido nabat tum ſimplex Aequore, quandò
Nantis Fulgor Aquis ſplenduit in tremulis.
Vt Diuum poſitis lucent Altaria Flammis:
Aut vbi Sol primo ſurgit ab Oceano.
Turmatim Sedes Regis liquere Puellæ:
Et ſe muſcoſis proripiunt Specubus.
Et Iuuenem denſa latè cinxere Corona:
Preſſarunt que Humeros, Brachia que, & Latera.
Et raptim inuitis raptabant Oſcula Labris:
Sugebant tenuem humidulo Ore Animam.
Indoluit ſuccenſa Dryas, ſuccenſa Napæa:
Indoluit Solis Filia Lampetie.
Et mille in Ripis molli ſub Fronde latentes,
Aegiale, & Lothos, Lochris, & Euliala.
Quas inter, ſtatim Ramos phaëtuſa virentes
Inclinauit Aquis: & miſerata Hominem eſt.
Illa cadens, imis Radicibus externata,
Effuge in Amplexus huc ait ecce meos.
Ille Manu trepida Troncos amplexus inertes,
Hærebat Frondis protinus Auxilio.
Et Caput, & Crines ſumma tollebat ab Vnda,
Innixus Ramis ſedulo penſilibus.
Interea Genua, & Suras, Armos que, Pedes que,
Implicitant nexis Naiädes manibus.
Et medium agreſſæ concordi Fœdere, cogunt
Languidulum inſano obruere Ora Mari.
Qui ſemel, atque iterum, Fluctu demerſus iniquo,

Non tamen ammiſit Dexteræ opem miſeram.
Quo que magis certat vitæ prodire ſub Auras,
Hoc magis in præceps mergitur, & trahitur.
Atque ita dum Res eſt, luctantem in Vortice cano
Ille Animam ſuctis eggerit è Labijs.
Deſerit Oſſa Calor, vultu fugere Colores:
Et pendent medijs mortua Membra Vadis.
A' Deli, & Dryadis, & deplorate Napæis,
Te moriente omnes diſpereunt Veneres.
Mille Deas Nemorum, & Syluarum, & Montium, et Vndarum
Vſſiſti pariter Crine, Oculo, Manibus.
Nunc palles, Mundo primis fraudate ſub Annis.
Impia Mors æqua tu Omnia Falce teris.
At monita his mea Lux, Syluas, & Littora, & Amnes
Effuge: ſunt Amnes, & Nemora Inſidiæ.
Hinc Fauni, hinc Panes, & nyſigenæ Syluani,
Hinc Satyri, & tecti noſtro habitu Superi.
O' quoties cœtu Diuum, & Iunone relicta,
Inſiluit Terris Iuppiter omniuolus.
Et modo Bos, modo Auis, fuluum modo verſus in Aurum,
Simplicibus poſuit Retia Virginibus.
Inde peregrinis exterrita Cornibus Iō;
Et verita eſt Caſſes Vrſa Lycaonia.
Hanc, atque illam Amnes nitidi, Valles que remotæ,
Has teneant denſi Delitiæ Nemoris,
Tu fuge in Amplexus noſtros chariſſima Vita,
Mox valeant Amnes, & valeant Nemora.

LACRYMAE.

At non effuſos Lacryarum ſoluar in Amnes?
Deficient Fletu non geminæ hæ Acies?
At potero Vita, Vitam deducere rapta?
Et ſi quid Vita eſt charius, & melius?
A' Deſiderium breue, & Spem Mortalinm inanem.
A' nimium & miſera, atque irrita Vota Hominum.
Huc, Huc lugubre ad Pheretrum triſtes que Cupreſſus,
Has propere ad Flammas currite Pierides.
En mærent inculta Dryas, inculta Napæa:
Et charis in Lacrymas, Nais & omnis abit.
Ipſe gemens Oſtro poſito Latonius heros,
Plorat ad extructæ Munera Sandapilæ.
Phœbe, ſacros nigra Crines præcincte Tiara,
Immeritò tu non angeris, & quereris.
Hæc te vnum imprimis tangit Iactura, tibi que
Deflendi imprimis Pendalei cineres.
Hic Cyrrha, hic Aſcræ Valles, hic Teſpia rupes,
Caſtalis hic fluctus, hic tibi Gargaphie.
A' miſeræ Muſæ, paſſis lugete Capillis:
Plangite crudeli pectora nuda Manu.
Pendalea pereunte, ſimul periere Choreæ:
Et perijt Cantus, & periere Sales.
Ecce Venus poſuit que Faces, poſuit que ſagittas
Triſtis acidaliæ Filius Arſinoes.
En muti Calami, & Studia, en languentia circùm
Carmina, & Aonijs nullus Honor fidibus.
Flet Domus, immixti & Vernæ, immixti que Clientes:
Flet Mecænatem Turba diſerta ſuum.

Ehù Perſephone nimium aſpera, & aſpera Clothò,
Qui Furor in Lanas? qui Dolor in Calathos?
Defraudas Vitem Immitis creſcentibus Vuis,
Et rumpis læti Veris Opes miſeras.
Scilicet impia Mors Hominum tu Vota prophanas,
Omnibus impuras iniÿcis ipſa Manus.
Diuitÿs Cræſi, forti nec parcis Achilli:
Et cecidit vafer Caccus, & Irus inops.
Lais amata vbinam eſt? & Phorcidos Ora meduſæ
Syluam omnem tu æquè funditus exanimas.
At queror, & Flammæ depaſcunt Membra rogales:
Et Cœlum latè nigra Fauilla tegit.
Iam credam, & Pana, & Fannos, Satyros que ſequaces,
Et Superos tandem poſſe mori, atque Iouem.
Me miſerum, tu me in Noctem Caliginis atræ,
Tu me altos moriens deſeris in Gemitus.
Non ego felices deducam Carmine Muſas
Poſtàc, nec lætum me ulla uidebit Hyems.
Per Nemorum Latebras, & nigras Arbore Valles
Efferar, agreſti mæſta querens Numero.
Qualis Cecropÿs decedens Daulias agris,
Acriter abſumptum mæret Itym ismarium.
Interea, ſiue Aethereos mirare receſſus,
Et frueris Diuum Nectare, & Ambroſia:
Seù ridens Ditis Faſces, Vmbras que ſilentes,
Iandudum cœtu ludis in Elyſio:
Atque inter claros Heroas, Lucos que beatos,
Aurea NylæeP lectra moues cytharæ:

Sis felix

Sis felix mi Pendalea, & feliciter Vrna
Floreat hinc Violis, floreat inde Roſis.

AD HERMIONEM.

Curre Sinus propere in noſtros, vbi primus ab Vn
Lucifer eöi luxerit Oceani. (dis.
Hic ego te mea Lux pomoſis immoror Agris,
Argutas inter Blanditias Auium.
Mollia purpureo quàprimum Lora Couino
Exere, & admiſſo protinus Axe vola.
Emoror hic ego te mea Lux: vbi dulcibus Vuis
Cingit odoratam Cæſariem Bromius:
Et vulgò impoſitis calcantur turbida Prælis,
Mox eadem ex ipſis Muſta fluunt Lacubus.
Vinitor hærentes deflectens Arbore Vites,
Ore rudi, & Bacchum concinit, & Semelen,
Et Iouis immittes nunc deteſtatur Amores:
Nunc miſeræ plorat Cadmios Inferias.
Sic è penſilibus pinguis vindemia Ramis
Extructos latè concidit in Calathos.
Hinc fœno cinctus Crines, humentia Prata
Vere ſuo durus Ruſticus expoliat.
Aut Stiuæ innitens, Glebas euertit inertes,
Et ſpargit grauida grandia Farra Manu.
Interea molli præludens Hœdus in Herba,
Maternis petulans pendet ab Huberibus:
Et tener in Ventos ſurgentes ſuſcitat Iras
Taurus, inarmata Prælia Fronte ciens.
Ipſe leui placidum Carmen deducit Auena

Vpilio, ſtratus Cæſpite gramineo.
Paſtorem que refert Phœbum, pauiſſe Iuuencos
Admeti, circùm Littora Theſaliæ:
Dum que canit, muta hi Saltus Indagine cingunt,
Et canibus denſant Littus odoriſequis.
Deſcendunt timidi Damæ, Cerui que fugaces.
Auritus que Lepus, ſetigeri que Sues.
Arua rubent: Præda & Vepres, & Teſqua cruentat,
Emmoriens ipſis ſaucia pro Pedibus.
Aſſultant curuæ Valles, Colles que ſupini,
Vmbriferæ & Syluæ, vmbrifera & Nemora.
Vicinis alius Piſcem ſubducit ab Vndis,
Lina trahens imis humida Gurgitibus.
Aut Pedicas parat, aut Viſcum ſuper Arbore ducit,
Intendens Auibus Retia ſimplicibus.
Inde Domum, prima, Turdorum, nocte, Corona
Euolat: & pingui paſcitur Aucupio;
Sic tranquilla quies, lætæ & Solatia Vitæ,
E' dulci Ruris naſcitur Obſequio.
Deſere mordaces Curas, & mobile Vulgus:
Et Motus Vrbis effuge ſollicitos.
Viuendum eſt, certo concurrunt Fœdere Parcæ:
Nec retrahunt ruptis Stamina Velleribus.
Ore breui, Sceptra, & Reges capit Vrna citatos:
Nec ſcriptos licet extendere Luciferos.
Hæc Muro, hæc altis cingatur Turribus: at tu
Mecùm habita has humiles Hermionea Caſas.

AD CONTERNIVM.

Statueram ſeptem mecùm iam Solibus actis,
Tecùm vnà hanc iſtam conſeruiſſe Diem.
Et Genio, & Phœbo, hinc Muſarum è dulcibus Ortis,
Mox legere & Violas, mox legere inde Roſas.
At miſera, & Lœtis ſemper Fortuna nouerca
Inuidit Votis effera ſimplicibus
Conterni, Latiæ Decus immortale choreæ:
Cui cingunt ſacræ Tempora Pierides.
Hæc me mordaci defixit comminus Oeſtro:
Et volucris celeri contudit Axe Rotæ.
Nil ſtabile eſt, tegat effuſo quod Vertice Cœlum:
Et ſequitur Spem Mortalium acerba Lues.
Ecce repentinæ torrent mihi Viſcera Febres:
Et refero gelidis vix Animam è Labijs,
Et modo Riphææ conſternor Frigore brumæ:
Et nunc ætæis æſtuo Thermopylis.
Exedit tenues Peſtis veſana Medullas:
Vſtulat & Venas: vrit & Arterias.
Hinc morbi Rabies ægros bacchata per Artus,
Cæca laboranti Bella mouent Capiti:
Vnde nouus Dolor, & denſi per Tempora Vepres,
Impulſi Crates excruciant Cerebri.
Effugit immittis languentes Somnus Ocellos:
Et miſerum falſis ludit Immaginibus.
Additur his Animi Vulnus crudele, & amarum:
Quod mentem, & mentis ſurripit Imperium.
Quale ſit (incæpto cupio dum extendere Verſu)

Neſſenides Numeris impoſuere Manum.
Non ego Permeſſi Diuæ, Diuæ quæ Helyconis,
Inuitis vobis, Id temere aggrediar.
Heù Fata, & nimium omniuola, & crudelia, & aſpra,
Iam liceat Requie poſſe frui placida.
Iactor ab indomito Curarum Turbine, qualis
Quaſſa procelloſis Nauis ab Aequoribus.
Quarè, romanæ Candor puriſſime Linguæ
Conterni, dulci dulcior Ambroſia.
Sic domini mihi te ſeruet Clementia Cœli,
Et Priami viuas ſoſpes Olympiadas.
Hos ægri Luſus, hoc chari Pignus Amoris
Accipe, cum que iſtis atque Animum, atque Animam.
Interea vale, nos Febri, Lectoque fruemur,
Dum melior Cœlo fulgeat Oārion.

AD DELIVM.

Ergo tam propere Fletu torpebis amaro?
Et fies triſtis in Syphilo Niobe?
Te Gemitus, & te tanti Veſania Luctus,
Ante diem rapidos coget inire Rogos?
A' Deli cohibe Lacrymas, & Vulnera mentis;
Creſcentem que ægro tolle Hyemem ex Animo.
Non ſemel erreptos, iterum tibi reddet Amores
Cedere Supplicibus neſcia Perſephone:
Nec placare datur nigra mala Numina Lethes,
Surda iacet ſcabris Ianua Cardinibus.
Pallida cedentes abrupit Centia Lanas,
Quas modò purpureis neuit Amor Manibus.

Centia te Charites, te plorauere Napææ,
Et Venus, & blandæ Delitiæ Veneris.
Ipſe & Amor Pharetram, & Faculas abiecit, & Amens
Iactat in aduerſos non bona Verba Deos.
Parce Puer queſtu, atque Oculis, aſpro que Dolori:
Orta, vnde exierat mox reditura, fuit.
Mortales trahimur Fatorum inſtante Catena:
Nec Fuſis Parcarum impoſuiſſe datur.
Viuit adhuc, vaditque Hominum laſciua per Ora
Facta Helene è doctis Centia Carminibus.
Exere fœdatcs Deli de Puluere Vultus,
Et tepidas rurſus ex Oculis Lacrymas.
Huc te agedùm, huc mecùm pomoſos defer in Ortos,
Huc mecùm hæc inter ruſtica Tecta veni.
Non deerit, tibi Mærrorem quæ tollat iniquum
Docta Lyra, & fidibus Threicijs Lalage.
Non murmurantes circùm Violaria Riui,
Non Zephyri denſas Sibilus in Corylos.
Hic poteris mecùm tenues inflare Cycutas:
Et paribus mecùm ludere Carminibus:
Et nunc lactantes vulgò ſiſtentia Mammas
Cogere textilibus Ocyma Syrpiculis.
Sectiuos ducto Porros ego moliar Imbri,
Roſida tu plenis Poma leges Manibus.
Interea Scopulis, alti vè Crepidine Saxi,
Cantabit ſaturas Tytirus inter Oues.
Nunc circùm Sepes ſimæ Viburna Capellæ
Carpent nunc Hœdi mollia cornipetæ:

Per que Rubos,& per florentes Smilace Dumos,
Daulias iſmarium concinet ales itym.
Mox Ambo Capiti Flores,& Serta legemus,
Narciſſum,& Caſias,& Violam,& Cythiſum,
Me iuuet & Calathos Scirpo denſare tenaci:
Qui Siſer,& Ficus mox referant biferas.
Alia que hærentes inter mordatia Glebas
Inſpicare manu cernua Dedalea.
Et quandoque Napos acri uerſare Fauilla:
Et verſare leui comminus Oua Foco.
Huc agedùm,hos habita mecùm chariſſime Deli
Atque humiles Ortos,atque Caſas humiles.

AD BELLINVM.

At nunquàm has triſtii tollam de Pectore Curas?
Quæ mi Animam, et Vitam tam properè excru(tiant?
At nunquàm hos Aeſtus,hæc ægræ Incendia mētis
Quæ miſerè exurunt Osſua,& Arterias?
Heù nimium in me acrè ſæuis Dea.tolle Amathuſi
Tolle faces,amens vror,& emorior.
En agedùm inuitas cogor deducere Noctes
Tam procul,& longos ducere Luciferos?
Et cogor Syluas iandudum errare per altas
Saucius inſano Vulnere Mellanion;
Per que Rubos.& per contextos Vepribus Agros
Agreſti trepidas voce ciere Feras.
A' pereant Syluæ,& Syluarum horrentia Teſqua,
Et Nemora,& Nemorum multimodæ Inſidiæ.
Hic nos ſetigeros que Sues,Ceruos que fugaces,

Aut Leporem trepidis inſequimur Canibus:
Dum Phaëthon Cœli Tractus, Terras que iacentes,
Et Maria eöis torret anhelus Equis.
Hos ego per Saltus, & cinctas Ilice Rupes,
Deſertam lacrymans alloquor Hermionem.
Lux mea, Pactola longè mihi charior vnda,
Atque Aſia, atque ipſis Diuitijs Aſiæ:
Lux mea, mi Forma longè formoſior omni,
Et Venere, atque ipſis Delitijs Veneris,
En miſera in longos tabeſcunt Lumina Fletu.
Per que Sinus latè turbida manat Hyems:
Atque iterum tenues abſumit Flamma Medullas,
Dum Deſiderio torqueor vſque tui.
Ipſa quid Ocnæa ſine me moliris in Vrbe,
Quam piger herboſa Mintius ambit Aqua?
Mintius exili velatus Arundine Crines,
Compòſitis vrens Naiädas Oculis?
Ehù quàm timeo ne te nouus vſtulet Ignis,
Et fias noſtro Frigida Diſidio:
Nam ſeù quem video pexis hærere Capillis,
Exculto que Sinu, purpureis que Genis:
Seù teretes Suras mirari, & leuia Colla,
Et collo nexas Helyadum Lacrymas,
Protinus & rigeo, & caleo, atque hinc dulcia cogor
Toxica laſciuis ebbibere ex Oculis.
At ne te molli ex Auro, & Gangetide gemma,
Tenario vè palàm Murice compta refer,
His Homines, ipſum que Iouem, Fallacibus Hamis

Atlantis,vel ſic Nyctias implicuit.
Sat tibi ſit tenui vulgò procedere Coa
Naturæ quæ Bonis credere ſimplicibus.
Talis,dum triſti iactatur ſydere Phæax,
Ibas,difficilis Icarioti Procis.
Talis,& Ideos dum Vir deſertur in hoſtes,
Aemonio ſteteras Aemonis in Thalamo.
At queror,& noſtrum diſcordi Flamine Ventus
Portat odoratos Carmen ad Armenios:
Aegra que curuatæ referunt Suſpiria Valles,
Et ferit effuſus auia Saxa Dolor.
Quare Theſæa mecùm deuincte catena
Belline,Aſcreis dedite Virginibus,
Conſule,quæſo,boni,Vitæ languentis amici:
Affer & optatas ſedulò Suppetias.
Nam potes excultis Animum mulcere Camænis,
Et mihi me blandis reddere Carminibus.
Redde mihi memet medica Belline Papyrro,
Belline, ambroſia dulcior Ambroſia.
Sic tibi ſit facilis ſemper Sarnitis,& vltrò
Currat in Amplexus Murtia vafra tuos.

AD HERMIONEM.

Ter decies roſeis Virgo Palantias Alis
Fulſit ab èoi Fluctibus Oceani.
Et toties Cornu Crines implexa nitenti,
Egit anhelantes Cynthia Noctis Equos:
Nec iurata Fides,nec adhuc te conſcia Facti
Sydera,tam longæ ſurripuere Moræ:

Nec prodeſt feciſſe Roſis, aut Arabe myrrha,
Et pingues Aris impoſuiſſe Faces;
Non vt cœlato ſurgentes Aere Columnæ
Præberent vacuis Atria Porticibus:
Ne vè, vt Amichleis medicatum Velus ahenis
Inficeret fulua diues Hydaſpes Aqua:
Aut mihi campanis flueret Vindemia Prælis,
Grandia vè vt referat Farra Libiſſus ager.
Non animo his Hominum mordax, non atra leuatur
Cura: ſedit viuo quæ altius in Iecore:
Sed tecúm vt pariter communes exigat Annos
Atropos, & vinci neſcia Perſephone.
Quærat opes alius Terra, Pelago que petitas;
Et renouet vectas ex Oriente Rates:
Hunc Cræſum, hunc fortem faciat Fortuna Camillum,
Hic Famam ex Atauum quærat Imaginibus,
Sit mihi fas tecùm longos deducere Soles;
Et valeant Lydi, Seres, & Arabia.
Quid iuuat heſperijs euulſum Montibus aurum?
Et Lapis èöis lectus in Aequoribus?
Quid vè Domus Cœlo tollit quam picta Caryſtos,
Seù perſæa Thaſos, ſeù lapidoſa Paros?
Si tamen vrentes abſumunt Pectora Curæ,
Inque dies creſcit dira, & acerba Sitis?
Sit mibi parca Domi Res, & non lauta Supellex,
Nunquàm Vita tuo nunquàm abeam Latere
Felicem nimium quæ te mibi redderit horam;
Tunc ego non mallem Regna tenere Iouis.

Quòd me præſenti ſi quis Deus audiat Aure,
Protinus accenſis gaudeat Ille Focis:
Naribus & patulis Fumos abſorbeat atros,
Hauriat & poſito Pocula plena Mero.

AD BELLINVM.

Huc agedùm, huc mecùm molles te defer in Ortos,
Huc inter Cantus Alituum reſonos
Belline, & Faſces Vrbis, Curas que ſequaces,
Et Motus Vrbis effuge ſollicitos.
Iam nitet Autumnus maturis ſordidus Vuis,
Mollior & Placidis labitur Annus Equis.
Deſijt infenſus Terras ardere iacentes
Syrius, & læto Gramine vernat Humus.
Ridet ager, ridet poſitis pro Tempore Sertis,
Siue Lapis, ſiue hæc Iugerà Stipes habet:
Bina que Dona ferens erectos liquat in Ignes
Dulcia contuſis Mella recepta Fauis.
Huc agedùm Belline vola, tibi ruſtica Nape
Comitur & tumidos fingit inepta Sinus;
Et format Verſus que rudes, & pinguia Verba,
Pinguia que immixtis Oſcula Blanditijs.
Et quid tam blandos ſpernis crudelis Amores?
Quid miſeram cæcis excrutias Facibus?
Iam propera: tibi pendentes è Cornibus Vuas,
Pendentes que Hæderas Fronte parat Bromius.
Penſilis intextos implet Vindemia Corbes,
Quam legit inculta parca Colona Manu,
Vinitor hinc ſurgens torquet ſpumantia Præla,

Et cogit pleno turbida Muſta Lacu:
Atque aliter ſurgens turgentes calcat Aceruos,
Preſſa que muſcoſos inquinat vua Pedes.
Care veni Belline, ruber tibi cana Priapus
Poma coronatis ſeruat in Arboribus.
Atque eadem cana, atque eadem ſuffuſa Rubore,
Aemula non tactis & Minio, & Niuibus.
Et Sorba, & lentis ſuſpenſa Cydonia Ramis;
Queque ſolent Sico Mora rubere Die.
Hinc latè ſe ſe tollit Nyaſias arbos,
Sparſa que deciduis Floribus albet Humus.
Hinc etiam inſontes Cœlo tolluntur Oliuæ,
Flauaque de viridi Stipite Bacca tumet.
Et circùm raris pendet Labruſca Racemis,
De que lacernatis picta rubet Corylis.
Excute præcipiti fumantia Vincula Redæ,
Et celeres ad nos huc age verte Rotas.
Nunc placidi Soles, nunc & molliſſimus Aer,
Et præbent dulces Arbor, & Herba Toros.
Hic potes vmbriferos Canibus circundare Saltus,
Atque agere hirſutas Teſqua per hirta Feras.
Et volucri Pedicas, Volucrique intendere Viſcum,
Et Prædam tremulis figere Miſilibus.
De que cauo mutos prædari Flumine Piſces,
Et trahere è cæcis ſubdola Lina Vadis,
Hæ Valles Sirpo cinctæ Canna que paluſtri,
Heſperidum Lucos, Delitiasque ferunt.
Huc agedùm Belline leues iam dirrige Currus,

Pura ſerenatas dum vehit Aura Dies.

AD HERMIONEM.

Mollia iandudum placuerunt Ocia nobis,
Et mihi Rus ipſa gratius Vrbe fuit.
Aſſueram dulces Torno deducere Verſus,
Dulcia Threicijs Plectra mouens fidibus:
Hic, vbi Lenææ texere Vmbracula Vites,
Iuncta que frondoſis Vlmus opacca Comis.
Ipſa modos latè mœrens fundebat amaros
Aedonis, mærens garrula Itym iſmarium.
Dum que canit, denſi reſponſant Carmina Dumi,
Et geminat Luctus Echo Cauernicola.
Iſtic montanæ Flabris felicibus Auræ
Arcebant Aeſtus ſyderis Icarij.
Et me blanda quies Alis mulcebat amicis:
Roſida florentem præbuit Herba Torum.
Interea mihi tu Flores in Serta legebas,
Candida purpureis Lilia cum Violis.
Præbebat vernas que Roſas, Tymbras que virentes,
Et Caſia, & Cythiſo luxurioſus Ager.
Tempora que agreſti præcingens noſtra Corona,
Raptabas vdis Oſcula de Labijs.
Et niuea optato circundans Brachia Collo,
Miſcebas acres vndique Blanditias.
Et memini hæc inter Suſpiria blanda, & anhelas,
Et vix reſtantes Ore in vtroque Animas.
Cum que tenens medium Curru Sol igneus Orbem,
Vreret Eöos, vreret Heſperios,

Me gelidi Fontes, gelidæ que è Fontibus Vndæ
Labentes, grata detinuere Mora.
Sæpe etiam tenui Nudus merſabar in Amne,
Et tibi Abidena nare videbar aqua.
O' quoties roſeo ſedit tibi Pallor in Ore:
Et ferijt pauidus frigida Corda Timor.
Interdum, & Volucri Pedicas, & Piſcibus Hamos
Aptabam, imponens & Fluuio, & Nemori,
Inde Domum repetens ſera iam Nocte, ferebam
Erreptam Prædam & Nemore, & Fluuio.
Vix noua prodibat ſegni Lux aurea Mundo,
Et Fulgore nouo luxerat Vnda Maris;
Ipſe per herboſos Saltus, per florea Rura,
Per que Rubos, & per & Nemora, & Syluas.
Pellacem Vulpem, & Leporis Veſtigia prona
Sectabar properis & Iaculo, & Canibus.
Sectanti mihi culta Dryas, & Amadryas inde
Affuit, & pictis picta Napæa Comis.
Hæc placuere mihi dudum Solatia Ruris,
Subluſtres que Vmbræ, vmbrifera & Nemora:
Sed placuere, Comes quia tu mihi, & vna parabas
Has omnes mihi tu Hermione Illecebras.
At nunc Benaca cingit te Mintius vnda,
Qua tardus celeri iungitur Eridano;
Hinc ſordent mihi Ruris Opes, & Cantus, & Vmbra,
Cana que purpureis Lilia cum Violis.
Et ſordent Auræ tremulæ, Colles que ſupini,
Et ſtrati Fontes Margine gramineo.

Omnia ſunt ſine te ingrata vndique,& Omnia nobis
Oſtentant Luctum,& Gemitum,& Lacrymas.
Quare agedum actutum Manis da Lora citatis:
Eſſeda que ad noſtros verte Britana Lares.

AD HERMIONEM.

Ergo tam ſæui fœdabunt Lumina Fletus,
Lumina,flammatis æmula Syderibus?
Per que Sinus roſeos Hyemes labentur amaræ?
Humentes que Genas inficient Lacrymæ?
Parce Manu tenera paſſcs diſcindere Crines,
Quid iuuat effuſas dilaniare Comas?
Non grauius Fluctus lamentabatur iniquos
Deſerta ignotis Gnoſia Littoribus.
Impia Theſææ cum flens Periuria Linguæ,
Diceret infido non bona Verba Mari.
Fondebas turpes triſtis Minoi Querelas;
Efferus inuiſas Claſſe ſecabat Aquas.
Talibus, ad Scopulum nodoſa vincta Catena
Implerat Cœlum queſtubus Andromeda:
Aurea quòd Mater Formæ ſtudioſa ſuperbæ,
Naiädas omnes ſpreuerat,& Dryadas.
At qui non ego ſum tanti chariſſima Vita,
Frangat vt infœlix mollia Corda Dolor.
Deſine flauentes,oro,vexare Capillos,
Pectora que inſana plangere nuda Manu:
En ego vocales que Tubas,& martia Tela,
Et Clypeum,& Galeam porritio ante Pedes.
Alter in aduerſos Ferrum detorqueat Hoſtes,

Et grauia ærata Vulnera Mente ferat.
Ille & Opes Bello partas, Aurum que reducat,
Et ſedeat forti conſpiciendus Equo.
Ille Aeſtus, Imbres que ferat, Ventos que ſonantes
Sordidus, è ſumpta ſæpe bibens Galea.
Me iuuet in molli deducere Prælia Lecto;
Et Femori cupidas inſeruiſſe Manus.
Et premere implicitis argentea Colla Lacertis,
Et rapere impreſſis Oſcula de Labijs.
Hinc mox Riphææ que hyemes, hinc horrida Cœli
Tempeſtas Terris ſæuiat, & Pelago.
A' pereat Chalybes primus qui mollyt Igne,
Et cinxit duro ferreus Enſe Latus.
Hinc orta eſt Cædis Rabies, hinc Sanguine fuſo,
Palluit in viduo mæſta Puella Toro.
Non ita (Sigæi ſtreperent cum Milite colles)
Dicitur Iliacus emeruiſſe paris.
Iſpidus Argiuos Claua cædebat inertes,
Terrificans rigidis Omnia Frater Equis.
Ipſe madens Nardo, & Baccho, Tecta inter, & Vmbras,
Aptabat fidibus Carmina Threicijs:
Mærebat Lateri formoſæ Filia Lædæ,
Mollibus immiſcens Oſcula Blanditijs.
Pone metum, liceat tecùm mihi viuere longò,
Et valeant duri Militis Excubiæ.

AD PYRENEN.

Pyrene, ſic illicibus non mittis Ocellis
Exure incenſi Pectora Cruſtumij;

Dum me Benaci Fluctu præcincta marino
Detinet vmbroſis Sirmio Littoribus;
Quid Sermedanis mea Lux molitur in ortis,
Quos cingit tortis Cornibus Eridanus?
An memori raptos Animo ſuſpirat Amores,
Conſcia furtiuæ Nequitiæ Veneris?
An ſubeunt Aeſtus, Ventique, vdique Decembres,
Canaque nocturno preſſa Pruina Pede?
An ſubeunt toties iurati Sydera Cœli?
Et toties noſtris Luna precata Dolis?
Aut noua depaſcit teneris Incendia Venis,
Forte peregrinis vſta Iecur Facibus?
A' ne Pyrene miſeras hæc portet ad Aures
Mendacis Famæ Crimina Rumor edax:
Ne gelida hoc mi ater rodat Præcordia Virus:
Sat miſerum plena fixit Amor Pharetra.
In me omnes Venus hoſtiles exercuit Iras;
In me omnes Cypris torſit amara Faces.
En procul vndoſum latè deuectus in Aequor,
In Fluctu Demens vſtulor æquoreo.
Nam ſeù flammato duxi Suſpiria Corde,
Seù male in aduerſos ſoluimus Ora Deos,
Protinus effuſis candeſcit Verſibus Aer:
Vrit & humentes atra Fauilla Notos.
Areſcunt latè Saltus, & comminus Vnda,
Et Nemora, igneſcunt Omnia quæ video.
Hermione heù tu mi hæc ægræ Faſtidia Menti
Inijcis, & lacero Bella cies Animo.

Parce,

Parce,oro,mea Lux,mihi te ſic ſacra Dione
Reddat,& Aduentu præueniat celeri.
Interea hæ refluum poſitæ per Littus Oliuæ,
Seruabunt cæſis nomina Corticibus.
Quæ relegat præſens Aetas,& poſtera Proles,
Et ſciat Ardores conſenuiſſe meos.
Dij facite illam æqua mecùm tabeſcere Cura,
Et paribus plecti ſolicitudinibus.
Plurima ſic ſtantes inter cadat Agna Miniſtros;
Veſtra que odoratis,luceat Ara Focis.

AD HERMIONEM.

Vadimus eoōs,vt primum craſtinus Axes
Exeret è Fluctu Delius æquoreo;
Vadimus antiquæ Conualles viſere Romæ.
Euandri que Caſas,Aegeriam quę Numæ.
Ibimus ad ſacri flauentes Tyberis Vndas,
Velabri que Sinus romuleum que Forum.
Interea quid tu Fluctu præcincta vadoſo,
Hetruſcis que olim Mænibus Hermione?
Ehù quam timeo mea Lux ne fiat in iſtis
Hic Ardor,Flamma hæc frigida Luciferis.
Paſcitur,è que Oculis creſcens incenditur Ignis:
Fit gelida ex quauis ſæpe Fauilla Mora.
Excluſit captum fallax Popea Neronem:
Flebat ad ingratas hinc miſer ante Fores:
Et Nox pigra Gelu, Currus flectebat inertes,
Et Niuibus latè cana rigebat Humus.
Interea largo colitur Nox quanta Lyeo,

Riualem & tepido mulcet Amica Sinu.
At non ſic Ithaci fidos eluſit Amores
Ingenij diues Penelopea Fides.
At non ſic Ignes inter crudelis amatos
Iphyas, in caros vſta Viri Cineres.
Sentis vt Admetus dulci cantetur Auena?
Aeternum vt felix Protheſilaus eat?
Conſule Vita boni tandem, & per Secula longa
De noſtra fias Lesbia Caliope.
Sit Satis exuri conceptis Ignibus, Ambos
Et ſtringat Nodo firma Catena pari.
Nocte Fores prima claude, & Fila inter, & inter
Faſciolas docta Vellera pinge Manu.
Sic Collatini metuens Lucretia Pugnas,
Stabat ad incomptæ Lumina parca Domus,
Inque vicem Famulæ circùm data Penſa trahebant,
Et Vox de Domino tum Omnibus vna fuit,
Cum redit, & trepidæ de Collo pendet Amantis:
O' quantum illa Boni protinus Hora tulit.
At nos incurua ſulcabimus Aequora Puppi,
Et vehet infidum Lintea noſtra Mare:
Forſitan & Cœli Motus patiemur iniquos,
Inſanas que Hiemes, & Rabiem Pelagi.
Tu Coa, Tu Serano ſpectabilis oſtro,
Incedes culto conſpicienda Sinu;
Ocnææ referens Incendia grata Iuuentæ,
Excutiens dulces ex Oculis Faculas.
A' queſo fuce ne fias hinc Fabula Vulgi,

Et viuas turpes inter Ephæmeridas:
Sed mihi te ſerua mea Lux, mox Turbine quouis
Sæuiat hinc Ventus, ſæuiat inde Mare.

EXCVDEBAT MANTVAE
Venturinus Ruffinellus Menſe Martio
M. D. XXXXV.

IO. BAP. BELLINI.

Muſarum placidis ſedebat Antris
Vni Cynthia Cynthio dicata:
Qua cum Delia, Leſbia, & Corina,
Vltrò Carmina blanda luſitabant.
Harum mellifluos Sales, Iocos que,
Sectata Hermione, vſque, & vſque, & vſque
Luſu Cecropio Sinum repleta,
Huc ſe contulit ad graues Receſſus,
Vix vt mouit Iter ſacras per Vmbras,
Accurrunt Pedibus citis Puellæ;
Atque hanc multiplici ſimul fouere
Amplexu properant, ſimul que certant
Crebris Baſciolis ſuāuiari.
Hic verò Aonidum Chorus ſororum,
Huius Aonidum Chorus ſororum,
Phœbæis redimit Comam Corollis,
Sic que ad Caſtalias vagatur vndas.
Audit Caſtalij leues Suſurros;
Mergit Caſtalijs Labella lymphis
Intonſo Hermionea amata Phœbo.

SANDRI CAPRIANI.

Cum tua te in Lucem Genitrix doctiſſime Iui
Ediderat, Partus auxiliante Dea;
Pieridum te ſacra Cohors ter merſit in Amne,
Infudit que ſuum docta Thalia Sophos.
Nil mirum, hem tu Elegos qua te donauit Apollo
Decantas Cithara, dum ferus vrit Amor.

Das que Modos quales traiectus Tempora Penna
Littore mintiaco dat moriturus Olor.
Quale vel Ocnæo Nectar manabat ab ore,
Vrebat Vatem dum Galathea ſuum.
Lude nec inuita C[illegible]teſia Pallade pubes
Molle tuum Carmen docta Cremona leget.
Nanque illi oſtendis cinctus Peneide, Vati
Conferat Aonidum quid vigilatus Amor.
Ergo age rumpe moras, Librum ſtudioſa Iuuentus
Hunc lege, dulce fluit cuius ab Ore Melos.
Si cupis Aonio ſitientia Labra liquore
Tingere, & illimi Fonte leuare Sitim.

DI M. CARLO CATTANI.

Vn ſtile colmo d'Arte e di Dolcezza
Da far ſtupir d'Apollo' i caſti Allori:
Vn Nido dou' inſieme' i ſanti Amori
Stanno' a ſchernir del tempo la Longhezza:
Vn Theatro di Gloria' e d'Allegrezza,
Che ſin al Ciel di ſé fà gir gli' Odori;
Vn Colle pien di rugiadoſi Fiori
V' dolce ride, e ſcherza la Bellezza:
Vn Fonte d'Eloquenza, vn bel ſoggetto
Da infiammar Salamina, Mantoua', e Arpino
E da por fren' a l'onde del Oblio:
Vn Eſſempio di Gioia' alto' e perfetto:
Vn viuo Lampo del nome latino.
Eſcon dal terſo' ingegno d'Elio mio,

Digitized by Google